

PETRI BEMBI INSI-
GNIA, QVOTQVOT EX-
TANT, OPVSCVLA.

N E M P E,

De Imitatione libellus.

*Cui epistola Io. Francisci Pici eiusdem argu-
menti præmittitur.*

De Aetna Dialogus.

De Culice Vergily, & Terentij fabulis.

Carminum libellus.



PETRI BEMBI INSI-
GNIA, QVOTQVOT EX-
TANT, OPVSCVLA.

N E M P E,

De Imitatione libellus.

*Cui epistola Io. Francisci Pici eiusdem argu-
menti præmittitur.*

De Aetna Dialogus.

De Culice Vergily, & Terentij fabulis.

Carminum libellus.



IO. FRANCISCI PICI AD PE-
TRVM BEMBV M DE IMITA-
TIONE LIBELLVS.

Io. Franciscus Picus Petro Bembo
Salutem.



TRVM tibi cum antiquos imitanti scri-
ptores, tum de imitatione mecum dissen-
ti, assentiri an aduersari deberē, nondum
satis Bembe iudicavi, quando ipsos etiam
veteres, qui proponuntur imitandi, hac
de re cum uarios, tum animi dubios fuisse planē comperie-
bam. Ipsa quoq; ratio sese ita prebebat æquam utriq; par-
ti, ut quod uergeret nō satis appareret. Quamobrem si que-
reretur autoritas, si ratio desideraretur, quibus quasi ger-
minis ad ueritatem indagandam uis utimur, his adhuc sub
iudice manere uidebatur. Verum enim uerò dum cogitare
acrius, ipsamq; imitationem animo uoluerē, in eam sum ad-
ductus sententiam, uti non nihil quidem imitandum assue-
rem, usquequaq; uerò non putem: imitandum in quā bonos
omnes, non unū aliquem, nec omnibus etiam in rebus, quod
tute ipse arbitrare. Quæ quidem in re ut ita sentiam, mul-
ta me mouent: eoq; animus inclinatur, uti aduersus te standum
facile existimem. Id ipsum tibi declarare tentabo, conaborq;
quibus potero rationibus, ut si non ego in te (quis enim in
amicum, & talem qualis est Bembo, id faceret?) sententiam
feram, ipse tamen fortassis litem secundum te dandam mini-
me censeas. Ac primum omnium satis constat, imitatores à Pla-
tone uel inani, uel nullo uerius titulo notatos, ut qui pro-
prio digni nomine non habeantur, nisi quod eis illa ipsa imi-
tatio fecerit. In honesta uerò Flacci nomenclatura dante.

tos, & appellatos seruum pecus. Hinc videas omnes quicumque aliqua in re autores celeberrimi extiterunt, aliunde quam ex imitatione gloriam, quæ de rebus præclare gestis exurgit, eamque comitatur ut umbra corpus, sibi ipsis quaesivisse, ac potius vel intenta contentione adversatos prioribus, vel adnixos longo eos intervallo præterire, non sequi. Qui enim asseda cupit semper esse, primum sibi nunquam vendicabit locum, ad quem videtur vel naturæ propensio, vel nescio qua certè ambitio totis viribus anhelare. At imitatus dicitur Homerus Orpheum adeo, ut carmen quod hic poemati de Cerere composito præstituit, in Iliade, duobus tantum nominibus exceptis, oculatissimus cæcus ille transulerit: nullus tamen inde honor est Homero partus: sed quoniam sonora magis grandiorque tuba res Troianas cecinit, multa illum & unde quaque est gloria consequuta. Obfuit magis quam profuit imitatio Vergilio: quoniam præclarissimo vati, & quod ad iudicium poeticum pertinet, omnium omnino præstantissimo, nihil ferè magis vitio verti solet, quam imitatio nimia veterum poetarum, à quo tamen vitio longè illum abfuisse censeo: neque enim omnes aliorum imitatus est partes: suos ipse habet numeros, propria tenet lineamenta, dispositionemque in primis peculiarem & maximè propriam (ut alia taceam) quæ non sunt ei communia cum cæteris: æmulator veterum verius quam imitator: & quantum mutuo, si non furto, quædam hinc inde quasi signa veterum atque torcumata carpsit ad ornanda suorum poematum ædificia, proprijs tamè illa sunt ornamentis magis conspicua, atque omnino magis illustria. Cicero quoque neutiquam Demosthenem, quod multis creditur, enixius est imitatus: plerisque sanè in rebus æmulatus suum retinuit filium & instituta

stituta dicendi. T. Livius Salustio clarissimo historiarum scriptori, palmam vel æquam habuit, vel præripuit, diuersam tamen cucurrit viam ipsius consequendæ gratia. Debita quoque laude nec Cornelius, nec Curtius caruere, & primis illis & alter alteri dissimiles. Quod si Græcam tractes historiam, quæ maior quam inter Herodotum & Atheniensem illum cum ducem, tum scriptorem rerum à se gestarum differentia styli utriusque tamen laudes amplissimæ. Ad philosophos si deveniamus Græcos, Aristotelis eloquentia magno pere celebrata est cum Græcis, tum Latinis qui Græcè sciunt. Platonis verò nunquam satis laudata, cum tamen illius stylus huius sit graphio dissimillimus: nec etiã Atticæ similis Musæ, quanquam celebratissimæ, & Platonis planè dissimili cum scribendi ordine tum verbis, quibus hic ipse Xenophon *κοινοῖς*, Plato autem *κακοῖς* (ut Græci dicunt autores) utebatur. Non defuit autem Aristoteli facultas imitandi eum, præsertim cuius auditorij limen viginti annos frequentissimè contriuerat. Non defuit eruditio, non iudicium: maluit tamen suo in calle præcedere, quam in lata aliorum via, vel secundus esse vel tertius. Inter Latinos verò Ciceronem & Varronem, quænam quæso loquendi differentia? neque enim hunc ille, quanquam vnde cumque doctissimum, aut stylo imitatus est, aut ordine rerum scribedarum & modo. Antiqui enim illi præclarissimi viri, nunquam aliquorum imitationi studebant, ita ut in eorum verba, membra, circuitus, iurarent, quasi semper infantes, quasi alitibus postponendi, quibus à parentibus extra nidum eductis, satis est si ter vel quater volantes illos aspexerint. Carpebant ex unoquoque quantum satis esse videbatur ad phrasim vel constitucndam vel ornandam, quæ tamen essent vel propriæ cognata naturæ, vel ac-

commoda materiae quae tractaretur. Sic & Celsus & Columella clari, nitidi, pressi & elegantes: in altero tamen egregia mundities, in altero flosculi fortasse crebriores: imitationem in illis nihilominus vel nullam, vel certe paruum es deprehensus. Genium propensionemque naturam eorum quisque sequebatur. Etsi enim homo omnium maxime vim obtinet imitandi, ut hinc & multa & varia discere possit, quod scribit Aristot. in Problematibus. eaque de causa poetica homini naturalem esse, primo quae ea de facultate libro scripsit, est aperte testatus: proprium tamen & congenitum instinctum & propensionem animi nactus est ab ipso ortu, quam frangere & aliosum vertere, est ipsam plane violare naturam. Itaque cum nostro in animo quaedam & tanquam radix insit aliqua, cuius vi ad quodpiam muneris obeundum animamur & tanquam ducimur manu, atque ab alijs quibusdam abducimur, colere illam potius quam incidere, amplecti quam ab aliena re, operae precium est: nihil enim, nostrae consulens felicitati, aut a virtute alienum, aut noxium nobis impertit ipsa natura. Ideam igitur ut aliarum virtutum, ita & recte loquendi subministrat, eiusque pulchritudinis affingit animo simulachrum, ad quod respicientes identidem & aliena iudicemus & nostra. Neque enim eam quisquam adhuc perfecte attigit, ut hac in re illud etiam possit dicere: Nihil omni ex parte beatum. Quandoquidem non uni tantum, sed omnibus & uniuersis distribuit praecleara sua munera, ut ex ipsa uarietate totius uniuersi pulchritudo constituatur. An putas frustra prudentem illum pictorem censuisse, omnia se vno in foemineo corpore reperire non posse ad venustatem? Et incassum putas prudentissimum oratorem eius industriam secutum, longe etiam illum praeterisse iudicio, qui ut imaginem illam pulcherrimi clo-

mi eloquentiae corporis effingeret, omnibus delegit viros facundia praestantes, cum ille quinq; solum Crotoniatis selegisset virgines pulchritudine celebratas: nec satis illis fides, formam ipsam seu speciem absolutam eloquentiae nulli prorsus addictam, sola imitatione dignam existimavit? Imitari itaque eam debemus quam animo scilicet gerimus dicendi perfectam facultatem, quae & aliorum & nostra cum errata in obeundo loquendi munere, tum virtutes etiam metiamur, siue ea ipsa penitus innata sit idea, atque ab ipsa origine perfecta, siue tempore procedente multorum autorum lectione consummata. Ea fiebat ut M. Ciceronis aures semper Demosthenes non impletet. Ea ipsa Patruinitatem in Lilio causabatur Asinius. Ipsa eadem & Brutus elumbem Ciceronem quanquam amicum praecipuum iudicabat: alij Asinum, tumidum, redundantem, nimium, viro molliorem. Qua etiam factum opinor, ut nec aliquem unum scrupulosius imitandum vel Celsus vel Fabius praeeperint: neque etiam ipsi fuerant Ciceronem, quem maxime laudant, imitati. Quid enim causae fuit, ut tot illos uarijs non solum in rebus, sed una eademque in facultate diuersos dicendi artifices posuerint in medium? nisi ut vel ab hoc, vel ab illo, quod placeret magis decerneremus, siue impulsu acti naturae, siue iudicio. Nam qui non ita censent, illud oro dissoluant, cur ij qui Ciceronem tam laudant quam qui maxime, illum ipsum tamen non sunt imitati, stylo scilicet & figura dicendi? An id scilicet facile non potuerunt, Celsus, Caecilius, Plinius, Fabius, alij Ciceronis seculo proximi, cum restarent adhuc tanquam reliquiae & inuiolatae illae quidem puri Romanique sermonis, ipsamque latinam suaderent cum lacte nutricum? An ignorarunt imitandum esse, magno scilicet &

excellenti ingenio viri, qui & alijs de imitatione præcipiebant? Dicendum potius uidetur eos noluisse: ne si voluisse quod non potuerant asseramus, uel tacito nos eorum opponamus gloriæ, qui quod illi non potuerunt uiri clarissimi, nos ipsi uel obtinuerimus, uel speremus. Dicturus est fortasse quispiam, eos qui magis nobis placet, esse magis imitandos: quod ego quidem non condemnarim: placeat præ alijs Placito, placeat Cicero, non opinione solum: sed stylo Platonico: eos sequamur. Nam quamquam sua est cuique propria facies animi, sicut & corporis, ut duos omnino similes non facile sit inuenire: minor tamen in animo nostro cum aliquibus præ alijs est dissimilitudo, atque per hoc facilius erit nobis uti similes euadamus: meminere uis tamen nos similes non esse oportere, quæ deteriora sibi delingunt ad imitandum. Sunt enim qui ne uos, qui cicatrices, qui maciem, qui excrementa etiam effingere uelint, uel nulla uel minima ratione habita, & laetorum & uiuidi roboris & gratiæ: ab ijs non dissimiles, quibus magna est cura, ut rara quæpiam uocabula, quæ forte aut Ciceroni exciderunt multa scribenti, aut vitio temporum fuere in eius libros introducta, adeo ut si ab inferis excitaretur, à se prompta negaret, gestientes surripiant: uel etiam quæ mancipis librarij, integritatē lectionis dum passim corrumpunt, edidere, ipsi obseruet magna cum diligentia. Superfluum præterea uanumque existimari debet, si ad omnem rhetoricam portionem imitatio adhibeatur. Inuentio enim tum laudatur magis, cum genuina est magis & libera: explodique solet quæ reptitia iudicatur, nedum accersita. Unde iam quæso illud, furem non poetam fabulam dedisse? An etiam aliunde prodijt, ut illi omnes damnarentur, quidam Musarum & Apollinis haberentur ludi, aliorum imitatio

tionem sibi quæsiuissent unde probarent, & soli relata sit à Cræcis palma, qui ex sese & ex propria penu eruditi promptat obsonium animi, tametsi eo non ita conuiuari gustus oblectaretur? Dispositio uero sequitur inuentionem, ita, ut hic qualis fuerit, talem quo ritè disponatur ordinè expetat, ne id quod effingis quasi intellectuile corpus orationis, aut uasta nimis, aut pusilla nimis, aut omnino præpostera membra deformet. Tuta autem hæc ut sit, necessarium dubio procul omni futurum arbitratur: eoque maiori tibi fuerit adnitendum diligentia, à te ipso uidelicet non ab alijs petenda. Quod maioribus ingenij uiribus in ea perficienda opus est, sicut Plinio maxime crediderimus affirmanti, & barbaros etiam inuenire magnifice, & enunciare, rectè uero disponere & figurare non nisi eruditis concessum esse. Elocutio uero nunquam & ipsa sequitur inuentionem: quando diuersam ad materiam diuersa phrasibus adhibenda est. Num & ipsa quoque dispositio comitatur? huic enim alia, illi alia tribuenda est, ita ut à te ipso omnis tandem pendeat oratio. Nam de memoria & pronuntiatione tacendum puto, quando earum neutra chartis mandetur, & alteram nulla extimatione tibi compares sed ex matris (ut inquit Lucillus) bulga tecum feras. Ut autem hæc exercitatione perfici solet, ita exempla maiorum alijs partibus, quæ referri literarum monumentis queunt, open ferre non mediocrem iure affirmauerim. Poteris enim inuentionem quapiam de re ab alijs traditam uel emulari, uel superare: poteris disponere melius, eloqui etiam ornatus. Neque enim quasi uetula mulier suis est uiribus paruens effecta natura, ut nostro scilicet hoc seculo quasi nimio partu lassata defecerit. Nec Deus optimus maximus nostre ætati non est largitus ingenia: utinam tam bene extio

colerentur, quàm bona sunt edita: & non inanibus nugis ac fabulis quasi glande & siliquis edendis dedita, sua alimonia fraudarentur. Ita enim macerata sunt nonnulla, & quasi tabe consumpta, alioqui suapte natura formosa, vt simulachri & euaniidæ umbræ magis, quàm viui animi effigiem præ se ferant. Crescunt (vt mea fert opinio) verius quàm decrescant ingenia. Multa enim quæ ad rerum spectant notitiam, & nostrum seculum, & huic proxima nouere, quæ docta illa ignorauit antiquitas. Lingua certè veteribus illis cum Græca tum Latina quasi natiua adsuit, quam ab eorum libris petere nos oportet: quibus maior ea de re fit legitimæ laudis accessio. Illi enim vel nolètes, & in Helladæ Græcæ, et in Italia Latine loquebatur: nobis Italis qui Latine loquamur, nedum Græcè, id nostra est partum & elaboratum industria: inde fiet, æquum rerum æstimatorem si sortiatur nostra ætas, posse eos qui nunc mediocriter loquuntur, præcipuis illis & antesignanis iure præferri, qui scilicet inter Gothos, Vandalos Hunnosq; versati, prisca illam & tot seculis abolitam dicendi rationem aut teneant, aut tenere conentur imitatione continua. Qua etiam in re mira subtilitas & fortè nimia. Nam nec cursu solum veteribus similes, nec gressu vel esse vel videri volunt quidam, sed ita incedere, vt eorum in vestigijs ponant vestigia. At si veterum maiora vestigia fuerint, vt etiam corpora, num in illis minor pes firmabitur, an labascet, si solum maxime subudum fuerit: si verò illa nostris minora extiterint, num excludentur curiosi pedes & frustrabuntur voto? æquum enim vestigium quod omni ex parte quadret, quis inuenerit: ni calceorum fortassis officina quæpiam è Romanis eruta ruinis, formulas nobis quasdam subministrauerit. At quot veterum pedes,

tot

tot calcei. Nec ambigas Bembe, etiam si antiqua sandalia in absconditis thesauris inueneris, & aptaueris tibi, te vnquã propterea posse à Criticis impetrare, vt antiqua credantur. Efficiet hoc inuidia: semper simultas erit in causa, quoad illam ipsam dies longa præscripserit. Neque enim alia habebuntur quàm noua, hoc est, non absoluta, nec omnibus perfecta numeris: quod quidem in signis euenire persæpe sumus contemplati, quæ & si quando præstantiora fiunt quibusdam, quæ vetustis illis seculis exculpta fuerit, nihilominus cum vt noua circumferuntur, imperfectioribus posthabentur, tantum vana illa mille annorum imago quasi pestis inuasit hominum iudicia. Nam si vetera creduntur esse, si etiam spectator est animi dubius, antiqua ne sint an minime, mira laus, nulla insurgit censura rigidior: at si compertum fuerit recenter edita, prodaturq; etiã nomè opificis, tum mille Aristarchi, tum & sibila quandoque erit audire: tum non tertius modò cadet de cælo Cato, sed & Timon atque etiam Momus exurget ab inferis. Nouimus hominem scripsisse epistolas sub Ciceronis nomine, quæ non laudi solum, verum etiam admirationi maxime fuerint: eundemq; ipsum epistolis Ciceronis suum adscripsisse nomen, demptis tantummodo ijs vocabulis, quæ prodere fallaciam possent. Es ne Bembe crediturus, quod ille ipse Ciceronis epistola, & rubras cæras, & virgulas, & asteriscos, & obelos, & sexcentas censorias notas perpetiuerint noue inscriptionis causa, quæ tamè antea sub veteri titulo fuerant nunquã satis laudatæ & celebratæ? Incassum igitur sategerat ille prioribus in epistolis, dum verba rimabatur, dum cæsa metiebatur & membra, dum circuitus deligebat, dum numeros mandabat memoriæ, dum obseruabat

lineamenta, ut quæ scribebat Ciceronis esse viderentur: poterat enim paruo impendio & labore id præstare titulus, et auferre. Sed illud quoq; ad nimiam auuiditatem imitationis compescendam facere potest, quòd mediocri etiam auctoris scribendi genus, nedum Ciceronis, non imitabile videtur omni ex parte, si quæ de complexu illarum muneris loquendi partium supra diximus, ad memoriam reuocentur: vbi enim inuentio, quæ quasi materia orationis est, eadem non habetur, nec forma, nec quæ illam nexu inseparabili sequitur dispositio, eadem prorsus habebitur: si autem similis, quoquo modo, si dissimilis, nullo pacto conueniet. Quotum autem quenquam reperias, etiam si accersas Aesopi graculum pennis ornatum alienis, qui quæ aliorum sunt propria, eadem prorsus & impudenter cogitet exprimere, & impudentius disponat, & effutiat impudentissimè? Sed hæc eadem esse omnia, mox dimoue lineamentum, verte membrum, varia numerum, tolle circuitum omnem orationis, integritatem sustulisti: adeò constat illa coagmenta, nec eis omnibus quæ sibi propria peculiariaq; adsciscit, vt ex illis ipsis eisdemq; solis, non alienis, non mixtis, non permutatis, conflatetur atq; dissultet. Huc accedit scripti genus varium, quod variam quoq; sibi vendicat phrasim. Ciceronis enim Orationes, libri de Oratore ad Quintum fratrem, de claris oratoribus, & alij pleriq; magno eloquentiæ inundantur flumine, si non potius Oceano: sed ille ipse tam vastus fluuius vix irrigat Rhetoricos libros: & eos qui de vniuersitate, & de Fato inscribuntur: idemq; ipse vix stillat in Topicis. Mutatur quoq; ætate mutata: & ab eodem Cicerone dicta est canescere oratio, quæ alia itidem est dum monet, alia dum respodet, diuersa quoq; dum deprecatur, dum interpretatur,

dum

dum inuehitur. Varia item pro varijs animi affectibus: & sæpe corporis, nedum rebus, quæ ipso sunt explicanda sermone. Hunc igitur vnum dices imitandum, quæ natura produxerit, vt in eo suas vires omnes experiretur eloquentia: eoq; fieri vt miscere, cum ipse sit etiam varius, ipsum Ciceronis filum queas, & quaq; de re, quæ tibi dicenda tractandaq; fuerit, possis ipsius more, & (vt sic dixerim) Ciceronianè loqui. At fortè veritas esset in connexo, ni duo illud aperte distrahent. Primum, quòd propterea quispiam non esset Ciceroni similis. Huius enim verba, etiam si loca mutant, erunt tamen verba Ciceronis, non autem Ciceronis ea constructio, quam ipse non struxerit: sed tanquam ex lapidibus illius alius murum confecerit, cui si quidpiam alienæ calcei & intriti misceatur (ne verò misceatur, fieri nequaquã poterit) sed etsi lapidem lapidi iunxerit hærentius, aut minus nimio uic plus in dolio mersauerit, nequaquã Tullianus paries ille futurus est. Alterum est, quòd tacito videris existimare, vt cæteri auctores legitimi non sint naturæ partus, sed tanquam abortiui, ac vt cum eis præclare agatur, veluti octimestres infantes habendi. Si ita reris, si ita censes, dabitur prouocatio ad eloquentiæ magistros, antiquos illos quidem & probatissimos: ipsum etiam appellabo Ciceronem: proposuerunt enim non vnum quempiam, sed multos imitandos: nec id satis, ad ipsam ideam filum esse dirigendum preceperunt. Num igitur mihi, quæso, licebit, num et expediet vim Demosthenis, quanquam eam expressisse Cicero dicitur, in ipso potius Demosthene, vbi inesse illam non ambigitur, & demirari & imitari? Sic & copiam Platonis, & iucunditatem Isocratis, à fonte puro, non à decurrentibus riuis, vbi ipsa miscetur eloquentiæ lymphæ, combibe-

re. Adde quod alio hic, alio ille charactere delectabitur, & alia afficietur figura dicendi: vt nec frustra nec inconsulto variis eiusdem rei dicendæ modos, quæ chriæ dici solent, veteres illi qui eloquentiæ tradidere præcepta, excogitauerint. Nec nequicquã habuerunt diuersa genera dicendi probari diuersitate videlicet iudiciorum, à diuersa humani temperamentum proprietate manantium, hinc amplum & augmentum dicendi genus, hinc exile & tenue, hinc ex utroq; permixtum: in quibus qui excelluerint, diuersi diuersam quoq; sibi gloriam parauerunt. Hinc & siccum & nudum, hinc succulentum & vario eruditionis colore vestitum. & hæc omnia introducta sunt duce natura. Erit enim ille si opte ingenio Laconicæ breuitatis amator: alius Asiaticæ fertilitatis avidus: hic Atticæ illius & aureæ mediocritatis aestuabit desiderio: Rhodio ille temperamento delectabitur: tot sunt variæ animi voluptates, vt etiam de numeris terminandæ clausulæ & pedibus, multa sit inter antiquos atq; inter Aristotelem & Ciceronem orta dissensio. Inducebant animum illi varijs habitibus, ceu ipsis quoque vestimentis induimus corpora: atque vt in his, non secus in illis variæ materies, variæ figuræ, varijsq; colores, & placebant olim, & nunc etiam placent. Sunt enim nostra tempestate plurimi, qui panno vestiantur libenter, qui sit contextus ex lato illo Ciceronis stamine, & presso Plinij subtegmine. Admittunt etiam tramam Celsi, & Columellæ. Alij, quia frigus fortasse metuunt, conantur vt euoluât serinia Carmentis, vnde peplum surripiant aptandum sibi. Nec eo contenti vetustos illos & cariosos Romanorum augurum & Martiorum fratrum cophinos adeunt. Atq; cum rescuerint Catonem & Ennium ditasse patriam, in eorum etiam suppellectilem prædabundi

dabundi & populabundi penitus irruant. Nec desunt qui asinum cum existiment bellum animal & aureum, de illius pilis sibi lacernam conficiant. Qui verò ab alienati sensus hæc signa ducerent, artis medicæ regulis freti, audiant Hippocratem, etati, tempori, consuetudini quidpiam dandum esse præcipientem. Sed vt in summa dicam: vt varij sunt auctores, & in suo quicq; genere probati, varia quoq; humani animi propensio, atque adeo diuersæ in eadem etiam facultate idææ speciei dicendi, lata, pressa, mediocris, austera, dulcis, diuersaq; quasi fila, diuersæ texendæ apta orationi: quibus de rebus apud probatos auctores cum alios, tum maxime Dionysium et Hermogenem præcepta dantur. Ad vnâ hæc omnia, quam in mente gerimus, ideam referenda sunt, & habenda est in consilio ratio, mixtioq; paranda talis, vt vna ex omnibus, quæ nulla sit illarum, sed perfectissima tamen illa quidem, quoad fieri possit, & conflatur & coalescat oratio: tantum abest vt quispiam vnus vsquequaque sit imitandus, quasi ille Deo præstaret Opt. Max. qui nobis vsquequaque imitandus nõ proponitur: neq; enim potentiam eius possumus, nec sapietiam aut debemus aut possumus omnino imitari: sed quam ille voluit ex sole illo intellectu nostris mentibus illucescere, eam ipsam excolere operæ pretium est, ad ipsius Dei manifestandam gloriam, ad accendendum nostris in pectoribus amorẽ diuinitatis bonitatis, quæ quidẽ nobis quoad vires nostræ queunt efficere, proponitur imitanda amore intentissimo, et officijs, qui de illo prodeunt: quibus & boni ipsi efficiuntur, et vmbra huius vitæ peracto cursu, omnino felices. Hæc habui ad præsens, Bæbe, de imitatione quæ dicerem, sex (ni coniectura fallor) aut septem horarum spatium, eoq; interrupto ac sine libris, stylo &

memoria vsi: quicquid sese obtulit arripuimus atq; compingimus. Scis enim me more tabellarij, inutatis etiam ad celeritatem iumentis, hucusq; cucurrisse. Sed neq; inficias iuero, me deprecari culpam, si qua occurrerint errata. Quare si hiulca magis & diuisa, quam sonora & pressa compositio: si fracta & stridula, quam æquabilis aut numero laudabitur, veniam præstes oro: sicut & poetice venæ in edendis inter expellendam Venerem atq; Cupidinem carminibus arescenti nuper, ut arbitror, præstitisti. Qui enim fieri potest, ut præter hæc etiam ab æquo non absoluar iudice, qui inter Theologos atq; Philosophos nostrates istos recetiores mente quidem plusquam subtiles, sed rubiginosa & plusquam barbara lingua diutissime versatus, ad mansuetiora studia, ad rhetorica delinimenta numeroq; poeticos interdum quodam quasi postliminio reuertor? Quibus in numeris et exculta illa phrasi à priscis illis ducta temporibus, si nostro hoc seculo inter eos qui nunc viuunt, & nobis noti sunt, ipse tibi palmam non vendicasti (quod ego nequaquam obstinate negauerim) propior tamen aut es, aut iam breuis futurus primo, quam tertio. Vale. Romæ,

XIII. Calendas Octobris,

M. D. XII.

PETRVS BEMBVVS

IOANNI FRANCISCO

PICO S. P. D.



RECTE atq; amater factum abs te est, quod eius sermonis tuas partes, quæ vnà de imitandi ratione nuper habueramus, etiam tuis ad me perhumaniter scriptis literis perferri voluisti. Quanquam enim propter eximiam tuam in omni genere doctrinarum præstantiam, & meum summum erga te amorem, singula tua dicta inhaerescere penitus in sensibus consueuerint atq; memoria mea, tamen ea ipsa prodita literis, & stabilius atq; diutius permanent, & facilius repetuntur. Tum accidere etiã illud solet, ut ea quæ chartis mandantur, pleniora vberioraq; sint, quam quæ homines inter se colloquuntur: addit enim semper aliquid stylus & scribendi mora, crescitq; cogitatione ipsa oratio. Itaq; sermo ille tuus, qui me mirifice delectabat cum te loquentem audiebam, idem perlectus in tuis literis, mihi sane multo iucundissimus fuit. Quibus omnino literis, quoniã me amantissime prouocas, respondebo, nõ tam quidem aduersandi tibi studio, quam tuendi mei: neq; tam resellendæ tuæ sententiæ causa, quam ne, quæ me rationes impulerunt ut eos laudarem, qui quidem, quæ scirent in eo scribendi genere, in quo sibi elaborandum esse duxissent, excellere ac præstare ceteris, illum sibi vnum ad imitandum proponerent, eas tu rationes cognosceres, quas tibi coram explicandi mihi sane ocium non fuit. Sed antequam illò veniam, peto abs te, quoniam initio literarum tuarum ita scribis, videri tibi imitandos esse omnes bonos: cur in reliquis earum ipsarum literarum partibus, eos qui aliquando imitati sunt, vniuersos vi-

tuperes, laudes nullū? Hoc si te propterea dices facere, quia malos quidem habeas, quos reprehendas: bonos, quos ornes, nō habeas: primum id quidem verisimile nō est, imitandi artem esse aliquam, quæ laudabilis sit, ea verò arte qui sit rectè vsus, neminem vnquam inueniri, præsertim in tanta imitatorum frequentia, quantā necesse est & esse nunc, & fuisse antea omni tempore, & deinceps semper futurā. Imitandi enim vim atq; sensum, ac emulatione quadam mixtam cupiditatē, natura omnibus hominibus tribuit, quæ sedari & comprimi ratione quidem potest, euelli prorsus extirpariq; non potest. Deinde, si tibi concedatur, imitatū fuisse rectè neminem (video enim tibi etiam Maronē ipsum bonum imitatore non videri) cur eam probas artem, in qua tametsi innumerabilia se clarissima ingenia exercuerint, laudem tamen boni artificis atq; nomen tuo iudicio nullum est eorum consequutum? ac planè cur non potius ad eorum te sententiam contulisti, qui affirmauerunt imitari non oportere, damnaueruntq; quicumq; id facerent, & quoquo modo? Aequius enim fuerat, vel in illos te non inuēchi, quorum artem antea probauisses: vel eam artem non probare, cuius amantis & studiosos homines tantopere fueras tanq; multis verbis improbaturus. Nam id quidem, quæ tua est in scribendo vis ac eloquentia, facillimè assequeris, vt illos acriter ac vehementer insectere. Quā tu sententiam si esses assequutus, & tibi campum liberio rem disputandi patefecisses, & mihi laborem respondendi tuis literis non attulisses. Reicissem enim te ad Pauli Cortesij epistolam, bellam illam quidem, & cum argutulam, tum etiam grauem, qua is Politiani vicini sui, docti mehercule ac ingeniosi hominis, sed, vt mihi quidem videtur, non multum prudentis, leuitatem fregit,

qui

qui Ciceronianā illam scribendi rationem atq; formā, à qua longiusculè absuit, sese assequi nullo modo posse cum videret, ad eos damnandos, qui sibi illum exprimendū sumpsisserunt, quicq; omnino stylum imitatione aliqua colerent, se cōuerit. Itaq; Paulus doctè sanè ac prudenter illius dissimulationem reijciens, tibi etiā satisfacere potuisset, si cum illo sensisses. Nunc autē cum affirmes, imitandū quidem esse, verum non vnū aliquē, sed omnes bonos: hoc quemadmodum accipias, nō intelligo. Nam si omnes ij, qui aliquo vno in genere boni scribendi magistri sunt habiti, pares inter se styli nobilitate scriptorumq; elegantia extitissent, concedi tibi fortasse poterat id quod dicis, nō vni eorū operam à nobis esse dandam, sed planè omnibus. Nunc verò cum vniuscuiusq; ratio vel ingenij vel artificij, vniuscuiusq; cum ingenio tum officio dispar esse dissimilimāq; reperitur, sitq; aliis alio præstantior, quid esse causæ potest, quin si melioribus operam dederimus, eos qui minus boni sunt, negligamus? An se inter illos, quicūq; boni dicuntur esse, vnus est omnium longè optimus longeq; præstantissimus, vt quæ singula insunt in ceteris, ea vniuersa in vno illo splendidiora etiam ornatio-raq; conspiciantur, eum vnū multò omnium maximum atq; summū rectè imitati cū fuerimus, nisi illos etiā qui boni mediocriter habentur, imitabimur, nihil proficiemus? quasi necesse sit, qui Apellis more pingere didicerit, cuius artem reliqui pictores admirati, primas ei partes sine cōtrouersia tribuerūt, illum etiā Polygnoti & Thyantis tabulas, à quibus doceretur, adhibuisse: aut eum qui Lysippi excellens ac præclarū fingendis imaginibus artificium expresserit, Calamidis signa rigida, vel etiā magis rigida Canachi fuisse cōtemplatum. Atq; illi artifices cum Alexandri vultū imitari suis arti-

Bbb 2

bus cuperent, nec in eum intuebantur, mentē in eum vnum suā atq; oculos intendebant. Nos, qui eius scripti sinu- lachrum quod sit pulcherrimū & perfectissimū, nobis proponere debemus, in quo effringendo studium & diligentiam adhibeamus, cum illud ante oculos habeamus, ad corū etiam quæ non ita pulchra sunt exprimendas imagines, curā atq; animum traducemus: Mihi quidem falli Pice videtur, qui sic existimat. Neq; enim ita formati à dijs immortalibus sumus, vt cum suppeditare nobis ea quæ prima sunt valeamus, se- ctemur quæ secunda sunt, multò minus quæ sunt infra secun- da: animus enim noster summum quiddā semper atq; altissi- mum suspicit. Itaq; vt dixi, valde miror te nō ita potius sen- sisse, vt alterū eorum statureres, vel omnino imitari nō oportere, vel, si imitandū quidem esse duceres, nō ad ea quæcūq; bona essent, sed ad illa tantūmodo quæ optima, quæq; perfe- ctissima haberentur, imitationis esse nostræ omnes nervos intendendos. Nam de ideis quod scribis, difficile quidem est tibi homini doctissimo, & in omnīū Philosophorū discipli- nis & scholis multa cum laude atq; gloria diu versato, ali- quid affirmanti nō credere. Sed quam tu esse in animo tuo insitam atq; à natura traditam scribendi ideam atq; formam sentias, de eo ipse videris. De meo quidem animo tantum tibi affirmare possum, nullam me in eo styli formā, nullum dic- tandi simulachrū antea inspexisse, quā mihi ipse mente & cogitatione legendis veterū libris, multorū annorū spatio, multis laboribus, ac longo vsu exercitationeq; confecerim: ad quod nunc, cum aliquid scribendū est, me conuerto, videoq; quasi oculis, sic cogitatione, quæ cōficiendo scripto opus sunt, vnde sumam. Antē autem quā in ijs, quas dico, cogitationibus magnopere effem versatus, inspiciebam qui-

dem

dem in animum meum nihilo sanē minus, quærebamq; tan- quam à speculo, effigiem aliquam, à qua mihi sumerem con- ficeremq; quod volebam. Sed nulla inerat in eo effigies, ni- hil se mihi offerebat, nihil conspiciebā. Itaq; si quid calamo vterer, si quid molirer, non lege, non iudicio, quo volebam, sed temere inconstanterq; ferebar: nulla me earū, quas com- memoras, idea speciesq; moderabatur. Neq; verò sum ne- scius, te id cūm diceres, de Platonicorū sententia dicere, qui quæ prima quæq; præstantia in natura rerum sunt, vel esse aliquo modo possunt, ad diuinas illas imagines speciesq; re- ferebant. Ac ego quidem sic existimo: in ipso mundi ac rerū omnīū autore & effectore Deo, vt iusticiæ, vt temperantiæ, vt aliarū virtutum, sic etiā rectē scribendi speciē quandam, diuinam illam quidem, & cui nihil desit, atq; omnino abso- lutissimā existere: ad quā & Xenophon, & Demosthenes, & ipse in primis Plato, tum & Crassus, & Antonius, & Iu- lius, & maxime omnīū Cicero, cum dictarēt aliquid & scri- berent, quantum cōsequi cogitatione poterāt, respiciebant, atq; ad illius, quam animo conceperāt, imaginē stylum men- temq; dirigebant. Idemq; nobis faciendum arbitror, conan- dūmq; modis omnibus, ut ad eius formæ simulachrum scri- ptis nostris, quo ad fieri potest, quā rectissime quamq; pro- ximē accedamus. Quod si in animis etiam nostris ideæ illæ insident, quas dicis, singulæ in singulis, tum diuersæ inter se atq; variæ, quemadmodum illas à natura ipsa, ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisq; animi corporisq; temperatione initio nascendi est sortitus, ab ijs si cura diligentiaq; nostræ stylum flectere in quancūq; volumus partē nobis licet, cur non tu eum vnum, qui sit omnīū maximus atq; summus, imi- tari nos tantūmodo statuis oportere? Si non licet, cur om-

nes bonos? Nam & inuidiosum quidem est, quod homines possunt assequi aliquo in genere optimum, id omnibus non proponere: & superuacuum, omnes illis bonos imitandos esse dicere, quibus animū à sua scribendi specie atq; forma, quā à natura traditā possident, facultas reuocandi nō est data. Sim verò (quod est tertium atq; vltimū) in quorundā animis idea illæ atq; species eiusmodi insunt, vt si quis studiū adhibeat, verti atq; inflecti facile possint, in quorundam autē eiusmodi, vt nullo modo possint, eodem tamen decidas, eodem labore necesse est. Nam neq; ij, quibus negatū est aliquò progredi, ad vllum imitationis genus inuitandi sunt, neq; nō ad optimum, qui quò liberit, si volent, progredientur, sunt incitandi. In alteris de facultate ne quid detrahatur, adhibenda cura est: ab alteris, vt inepti esse desinant, nō est requirendū. Ac ego illis nec imitandum esse quenquā statuo, nec verò vllō in genere quicquid conandū. Qui prauo, qui tenui, qui inerti ingenio sunt, qui durā atq; implacabile naturæ suæ quasi faciē præ se ferunt, scribāt ij mihi libros, nec ne, vigilēt, dormiant, nihil moror. Eos volo, eos alloquor, qui si operā dederint, si animo nō frangentur, nihil nō assequi poterunt: et quorū ingenia si excolantur, fructus vberes atq; magnos ferent. Neq; illud me mouet, quod existimem, qui ita formati sunt, vt quib. artibus animū intenderint, quo in genere scribendi elaborauerint, sua illos spes nō sit frustratura, esse nō multissimos. Neq; enim aut Ciceronē à scribendo deterruit pulcherrimos illos de Oratore libros, quòd qualē in eis statuerit oratorē esse oportere, talē fortasse neq; legerit ipse unquā fuisse, neq; audiuerit: aut Plato reip. suæ leges propterea nō perscripsit, quòd eas ab vsu atq; consuetudine gentiū longius abesse arbitraretur, q̄ quib. vllōs populos, vllā civitatem

tatē esse vsurā consideret. Qui enim artē aliquā rectē præcipiunt, nō id cogitāt, vt omnes assequi eam possint, sed id potius, vt qui potest, ita assequatur, vt nihil possit esse eo in genere præstantius. Quicquid autē est eiusmodi, qui præstanti ingenio nō sit, aggredi fortasse potest, assequi atq; p̄ficere nequaquā potest. itaq; mediocritatē ingeniorū rejiciunt: nihil enim mediocre idē atq; præstans est: quod cum sit, pusillū ad numerū res redigatur, necesse est: præstantia enim quæ sunt, eadē per raram esse cōsueverūt, rarioraq; quo præstantiora. Præstantiū autē rerū paucitas, mediocru multitudini nō modo nō possit habenda, sed longē etiā anteponenda est: placetq; Nautas ille mihi Virgilianus, qui Aeneā admonet, quò in Italiā transmittere facilius possit, quicquid inualidū ac metuēs periculi est, esse rejiciendū: quod cum esset factū, Poeta statim intulit, Exigui numero, sed bello viuida virtus.

Ex quo apparet, poetarū sapientissimū nō virtutem modò in illis, quos cōmemorat, requisuisse, sed etiā viuidam, hoc est, præstantē. Quamquā quidem non ego vlla simulachra, quæ nusquā sint, quæq; vix animo percipi possint, quemadmodū illi duo, quos dico, fecerūt, nostris hominibus ad imitandum propono, cum eam vnum, qui sit omnium optimus atq; præstantissimus, illis propono: quod si facerē, nunquā me tamen illorum defenderē exemplis. Potest enim quilibet cum oratorie ac rerumpub. ratione atq; modo cōstituendarum, tum aliarū planè rerū artes & disciplinas ita tradere, vt ad excellentiorē statū atq; formā velit eorū cupidos progredi, q̄ cuius simulachra oculis cernantur, manibusq; cōtineantur. Imitatio autē quia in exēplo tota versatur, ab exēplo petenda est: id si desit, iam imitatio esse vlla qui potest? Nihil est enim aliud totum hoc, quo de agimus, imitari, nisi

alieni styli similitudinē transferre in tua scripta, & eadem quasi temperatione scribendi uti, qua is est usus, quē tibi ad imitandum proposuisti. Sed redeo ad illud, quod ais, imitandos esse omnes bonos: queroq; item abs te, velisne nos ita bonos omnes imitari, ut eorum cuiuslibet vniuersam scribendi rationē exprimamus, an satis habeas, qua quisq; in rationis sue parte maximē bonus est habitus, eam nos tantummodo ab vnoqueq; mutuari: atq; ita multis ex rationū partibus, quibus rationibus sunt alij permulti vsi, vnā conficere rationem integram, qua utamur? Vtro modo accipi dogma istud in malis, vide. Sed priore velle te, non est existimandum. Quid enim esse potest absurdius, quā, quas multi species scribendi atq; formas, diuersas illas quidem inter se multūq; saepe differentes, sunt assequuti, suis eas membris omnibus, suis partib. præditas, vna in scribendi forma ac specie, velle vniuersas exprimi atq; cōtineri? quasi existimes, ex ædificandis vniuersis ædibus, multa ædium exempla variariū imaginum atq; operū, omni ex parte posse representari. Altero modo si te dices velle, primum iā id quidē imitari non est, plurimis ex partibus, quæ stylum singulorū conficiunt, aliquā vnā tibi sumere: ut cum id sæpius feceris, sumere autē ex multis potes, stylum inde cōficias tuū. Excerpte id quidem potius dicendum est, aut, si libet, etiā mendicare: ita enim degere homines in victus mendicitate consueverunt, ut quæ sibi opus ad vitā sunt, non ab vno, sed à multis petant. Imitatio autē totam cōplectitur scriptiois formā: singulas eius partes assequi postulat: in vniuersa styli structura atq; corpore versatur. Neq; enim qui Salustianam breuitatem assequutus sit, verbis autem illam aut obsoletis aut popularibus, structura etiam inconcinna conglutinauerit, Salustium imitari est dicendus:

condus: neq; qui Iulij Cæsaris in enarrandis rebus tēperantiam expresserit, sermone verò planē rudi in illa exprimenda sit usus, is erit propterea dignus existimandus quem Cæsaris imitatore vocemus. Totum mihi oportet eius styli faciem exprimat, cuius se imitatore dici vult, quem eo nomine dignū putem. Itaq; Cicero cum eius verbi definitionē traderet, imitationē esse dixit illam, qua impellimur cū diligenti ratione, ut aliquorū similes in dicendo esse valeamus. Sunt ne hæc Pice Tulliana verba singula, quæ cōmemoro? Qui autem fieri potest, ut aliquorum similes esse valeant ij, qui de singulis sumunt, quod exprimant, de omnibus, ut nihil assequantur? Deinde, si tibi etiā de verbo concessero, ambitiose enim tecū agere nihil volo, n.e tua ista imitandi multos ratio, optari potius quā sperari, fingi quā teneri, e-re dici quā re perfici, facilius potest. Nam neq; qui eodem tēpore imitari plures vult, quicquā ab vno proficiet: distrahi enim mentē atq; sensum copia, neq; hæere animū finit: cuius autē in nullo hæret animus, is omnino rectē conficere nihil potest, neq; qui aliū post aliū aggreditur, ei, quā in vno curā intenderit, non in alio saepe remittere necesse est. Capimur enim pleriq; omnes nouitate, à qua ita oblectantur quidā, ut etiā illa damnent, à quibus recesserūt. Accedit eodem scriptorū diuersitas & dissimilitudo. Itaq; dediscende pleriq; sunt veteres perceptiones, ut nouis perceptionibus curā atq; animū adhibeamus. Placet enim in illo cū dignitate quædā quasi seueritas orationis: hilaritas in alio, comitas, lusus ipsi multū probantur. Horū cum imitari alterū didicerimus, alterū doceri aggrediamur, reijcere multa cogimur eorū, quæ paulo antē summa industria, summo nostro labore sumus assequuti. Quamobrē frangitur studiū, debilita-

tur diligentia, cōtentio illa nostra ardorq; omnis animorū elanguescit atq; restinguitur, dum huc illuc, tanquam à fluctibus, sic in exemplorum varietate iactamur. Postremò, quòd tu singulas vniuscuiusq; bonas partes imitandas esse tantummodo existimas, id, si rectè considerabis, quomodo assequi possis, non inuenies. Omnibus enim ex partibus vniuscuiusq; scriptoris cōflatur coalescitq; id, quod in quoq; bonum atq; prestans est: omnes eius virtutes, & verò etiam vitia, si qua insunt in illo vitia, eam conficiūt. Nam vt hominum vultus, aliis morum benignitatē, aliis alacritatem naturae, animi aliis fortitudinem, aliis ingenij fertilitatē, aliis maiestatem, aliis venustatē prae se ferūt: eae autem singulae indoles non ex oculorū, aut ex superciliorū solummodo forma, aut oris, aut genarū, aut caeterarū ex aliqua partū qualitate, verū ex omnib. sui quaeq; vultus partibus atq; membris sunt constitutae: vt si quis aliquā pictor imitari coloribus velit, is singulas eius faciei partes, cuius est ipsa indoles, antè exprimere cogatur: ita merchule in scribendi rationibus insunt eae quae laudamus, siue virtutes, siue lumina scriptorum singulorū: quas profectò virtutes prestare nostris in scriptis minimè possumus, nisi etiā vniuersas illas, quarū sunt ipsa lumina, scribendi rationes prestemus. An tu cando rem illum puritatemq; sermonis, quam in Iulio esse maximā atq; mirificā videmus, imitari te posse existinabis, nisi et temperamento fueris vsus tanto, quanto ille maiore vsus est, quā in vniquā alius, propterea, quia ipse de se scripsit, ne aut odio in scribendo videretur, aut cupiditate vll. duci? & neglectum eundem eloquutionis expresseris, qui est ab illo vel necessitate institutus, quoniā plurimis agendis maximis difficillimisq; rebus occupatus, diligentia in scribendo maiorē adhi.

adhibere nō potuit: vel accersitus industria, ne planè crederetur potuisse, vt existimarent homines multò plus illū gratiae scriptis suisq; acquiriturū suis, si plus ei tēporis ad scribendum bellicarū rerū occupatio suppeditauiisset? Atq; ipse quidem candor non ex sese, sed cū ex alijs, tum ex his duabus praecipuè partibus cōstare mihi videtur, quas dico. Has si tu duas partes nō prestabis, cādor iā ille tātopere laudatus nunquā Mediusfidius exprimetur: sin prestabis, voles autem etiā Ciceronianā illam maiestatem scribendi assequi, quā omnes laudibus vsq; ad caelum ferunt, neq; hoc, quemadmodum optabis, efficies, et illud quod effectū iam erit perturbabis. Quantū enim addes ad alterū, tantundem ex altero adimas necesse est. Ita quae per se atq; sciuncta, eximia vtraque praeclearaq; habentur, eorū neutrum, si permisces, suam pristinam faciē dignitatemq; retinebit. Quòd si & candorē Caesaris, et maiestatem Ciceronis, item & Salustij breuitatē, & vbertatem Liuij, & candorē Celsi, & diligentia Columellae, si deniq; quod in vnoquoq; scriptorum egregiorū propriū esse lumen, tanquam in vultu indoles conspicitur, ea omnia prestanda esse statues scriptis tuis, vereor ne non tam quidem imitari illos voluisse, quā illudere, neq; tam assequi, quā peruertere videare. Quam tamen si effugies calumniam voluntatis tuae, illud certè nō cuitabis, quin appareat, neminem te illorū non dicam rectè assequi, sed etiam effigere mediocriter potuisse. Deniq; si quis Deus id, quod spōte nostra ficere nullo modo possumus, te doceret, artē videlicet quandā nouā ac planè diuinā, qua imitari multos calle res, quemadmodū praecipis, tamē esset verendū, num illa sanè arte tibi esse vtendum statueres. Qui enim fieri potest, vt qui multos assequi vna scribendi ratione vult, eius oratio

non dissimilis, non impar, non sibi diuersa inconstansq; sit, non inconcinna, non parum coherens, dum huius lenitate, illius verò ardorem, alterius ornatum, alterius negligentiam, quæ quidem interdum, vt in muliere non fucata facies, sic in scribente gratior est: sexcenta præterea alia varia multumq; differentia scribendi genera qualitatesq; complectitur? Ac mihi quidē uetustissimi poetæ finxisse Protea videntur, cum illum modò aquam fieri, modò ignem, modò belluam dicerent, nunquam tamen eodem aspectu plus vnā formā præse tulisse, nō solum quia id posse fieri non existimabant, sed etiam propterea, quòd, quo modo diuersæ facie res inter seq; variæ, aptè coniungerentur, non videbant. Sed iam de tuis literis hæc tenent, vel potiùs de earum literarum parte, ad quam quidem respondere me operæpretium duxi: nam ad omnes, neque multum necesse fuit: & hæc ipsa satis multa esse possunt, præsertim tibi, qui nō modò ea quæ scripta sunt, qualia sunt rectè perspicies, sed illa etiam quæ scribi in hanc sententiam possunt, ex ijs quæ leges per te ipse facile considerabis. Venio igitur ad illam partem sermonis nostri, in qua ea mea sententia fuit, vt dicerem, eos mihi vehementer probari, qui prosa oratione scripturi, Ciceronem sibi vnū ad imitandum proponerent: heroicis carminibus, Virgilium. In quam omnino sententiam non sanè, vt primū eiusmodi res tractare animo cœpimus, statim adducti sumus, sed post multas cogitationes, ac per quosdam quasi gradus ad eam accessimus, vt non temerè illa inuenta finem progrediendi fecisse, atque in ea quiescisse videamur. Nam initio quidē illud mihi sepe veniebat in mentem, vt in philosophiæ opinionibus atq; sententijs, sic in scriptorum generibus & stylo, nullis nos legibus subijci, ne

mini

mini addici atq; astringi oportere, sed quod in quoq; probaretur, id sequi: quæ profectò sententia tuæ fuisse sententiæ similis atque cognata videtur. De qua quidem me tentantem conantemq; eo in genere toto multa, illæ tandem rationes depulerunt, quas superius, te vt etiam de tua deducerent, si possent, collegi. Itaque ea sententia deiectus, ad illud me contuli, vt ducerem æquius esse & profectò conducibilius, nouam intactamq; ab alijs rationem ac planè suam quæq; conficere scribendi: idq; putarem omnes homines, nisi inuidi atq; maleuoli essent, laudaturos. Quod cum placuisset, vellem autem quantum in eo possem, experiri, omnis nostra cogitatio, diligentia, studium, omnis denique noster labor irritus atq; nullus fuit. Nihil enim inueniebam, quod non vel ab aliquo veterum scriptorum stylo haustum videri facile posset: vel omnino, si id effugeram, tamen cum ad illorum scripta conferebatur, mihi non summopere displiceret, quippe quod venustatem sermonis, proprietatē, maiestatem eorum seculorum non redolebat, nullum antiquitatis vestigium, nullam notam referebat. Ad hanc frustrationē laboris nostri illa cogitatio accessit, quòd animaduertebam eos, qui se neminem imitari profitebantur, partim scribendo parum admodum profecisse, partim etiam suis cum libris atq; scriptis planè inuisos & despectos iacere. Quæ ob rem ea etiam sententia damnata, aliam inire rationem statuiamus, quæ quidem eiusmodi fuit. Volo autem singulos tibi animi mei motus consiliorumq; varietates perscribere, vt si aliqua ex parte prodesse tibi error meus possit, ea ne celere. Nam quoniam ita natura comparatum videbam, vt quotiens magnum aliquid atque arduum moliri homines cuperent, eius si facinoris exemplum haberent

aliorum, qui idem aliquando essent conati, eare multum illis curæ ad id, quod aggredi statuisent, multum laboris, multum etiam ambiguitatis, multum deniq; difficultatis demeretur: cogitare cœpi, ijs in studijs, quibus semper dediti fuimus, optandum esse, ut quem quisq; imitari posset, qui scribere aliquid cuperet, ne deesset. Itaq; siue ut in itinere conficiendo, cum duces nacti sumus, securiore animo viam ingredimur, sic in reliquis rebus alacriores ad illa sumus, quorū doctores et magistros habemus: siue etiam ad omnem excellentem laudis & gloriæ cupiditatem nulla re magis, quam aliorum æmulatione incitamur: mihi quoque idem faciendum putavi cum poeticis in studijs, tum in oratoria disciplina, quod permultos fecisse intelligebam, ut in utraque earum artium & ducem, quem sequerer, & gloria illustrem, quem æmularer, eligerem, mihiq; ipse quasi signum proponerem, ad quod quidē conatus omnes nostri cogitationesq; dirigerentur. Id cum deliberauissem, magna me hæsitatio tenuit, deberem ne eos, qui mediocritatem non excederent, an illos potius qui essent omnium eminentissimi, statim initio aggredi, quos omni studio colerem, ad quorumq; similitudinem me quam diligentissimè compararem. Nam si animum ad summos adicissem, illud verebar, ne me vel rei difficultas ab incepto deterreret, vel certè frangeret suscepti oneris magnitudo, cum me parum proficere optimorum scriptorum longeq; præstantissimorum exemplis comparationeq; cognoscerem: sin autem mediocribus me tradidissem, equidem sperabam fore, ut cum ab illis quantum vellent proficissem, & facilius mihi esset et planè tutius ad eos transitus, qui primi haberentur. Sed angebar animo, quod, ut odore nouum vas, sic quo primum rudimento stylus imbueretur,

retur, permagni interesse audiebam: mentem etiam ac cogitationem meam multò libentius in summis excellentibusq; viris fixam erectamq; detinebam. Vicit tamen siue timor, siue imbecillitas planè nostra voluntatis propensionè, quæ traheretur. Itaque dedidi me ijs magistris instituentum, quorum scripta non tam laudarem, quod bona, quam reciperem, quod paratiora optimis commodioraq; ad imitandum viderentur. Eos igitur acerrimo studio summaq; diligentia cum tantū essem sectatus, quoad mihi videretur me eius, quod concupieram, magnam esse partem consequutum, ad illos me conuerti, quos esse facile principes omnium hominum testimonio sentiebam, ut eos item sequerer, animumq; meum atq; mentem ad ipsorum rationes hauriendas imbibendasq; traducerem. Id cum sedulò etiam atq; etiam experirer, mea me delusum spe sanè atq; deceptū cognoui. Non enim solūm faciliorem mihi eorū imitationem aliorum scriptorum imitatione non esse factam, sed multò etiam difficiliorem, præclusosq; ad eam aditus potius quam patefactos videbam. Nam quam mihi vsui putabam fore insumptam in exprimendis mediocribus, operam, ea sanè impedimento fuit. Animus enim iam noster diligenti exercitatione illorum scribendi rationibus eruditus atq; assuetus, eundem morem diu retinuit: à quo quoniam aberatis, quem de optimis hauriri oportebat, contraquam existimaueram fiebat, ut scilicet multò minus ad eos exprimendos essem idoneus, quam si me nunquam mediocribus tradidissem. Quare multis me meis laboribus id vnum esse assequutum cognoui, ut imitari summos incipere mihi certè ne tum quidem liceret, propterea, quod ea didiceram, animumq; meum ijs quasi maculis infeceram, quibus residen-

tibus perfectæ rationis vlla in eo depingi rectè facies imagoq; non possët. Deleri verò ea, quæ quis diuturno studio in animum induxit suum, non tam sæpe facile est, quàm oportet. Sed nihil est profectò tam difficile tanq; durum, quod non labore nostro posse vinci superariq; videatur, præsertim si in eo, quantum facere & consequi possumus, cõtendamus. Itaq; summa à nobis adhibita diligentia, è memoria tandem nostra deletis penitus ijs, quæ altè tunc imitatione non optimorum insederant in ea rationibus, omne meum studiũ ad illos contuli optimos atq; summos, quos dico: in quo quantum profecerim si me roges, sanè nihil tibi respondebo, præter hoc vnum, mei me consilij non poenitere, præsertim cum eorũ scripta lego, qui aut nullũ, aut omnes, aut non tantum optimos effingere præstareq; voluerunt. Sed nõ debebis tu quidem ab hac capeßenda scribendi ratione abstrereri, etiã si minus tibi id, quod alijs persuadere cupimus, videmur esse ipsi consequuti. Non enim quantum potuimus, in eo impendimus vel temporis, vel laboris, quippe qui etiã vernaculo sermone quædam conscripsimus cum prosa oratione, tum metro planè ac versu: ad quæ quidem cõscribenda eo maiore studio incubuimus, quòd ita deprauata multa atq; peruersa iam à plurimis ea in lingua trahebantur, obsoleto propè recto illo vsu atq; proprio scribèdi, breui vt videretur, nisi quis eam sustentauisset, eò prolapsura, vt diutissimè sine honore, sine splendore, sine villo cultu dignitateq; iaceret. Quare non oportebit te exemplum à nostris scriptis capere, vt quantum nos Latino sermone optimis imitandis æmulandisq; profecimus, tantundem putes alios, nec eo amplius, ijsdem artibus posse proficere: sed id potius cogitare, cum nos certè aliquid ea simus

mus via consequuti, si modò id aliquid est, quod à nobis confectum est, qui quidem alias etiam scribendi vias ingressi sumus, illos qui nihil agere, nihil conari aliud statuent, præter id vnum, in eo planè esse quæcunq; volent consequuturos. Habes omnè rationem consilij mei, quoq; pacto in eam tandem sententiam, quæ tibi quoq; vellem probari possët, venerim, quàm perplexis cogitationibus, quibus me andris, vides: in qua porrò adhuc eo libentius cõquiesco, quòd alijs prius tentatis omnibus diligenter rationum vijs, ea me tanquam portus ex longo errore diu iactatũ excepit. Hanc qui & initio ingredi poterunt, & ingressi nunquam se ab ea deflecti sinent, quemadmodum illi qui in cursu nihil offendent, celerius curriculum conficiunt, quàm qui lapsi aliquotiens sunt: sic ipsi ad metam citius sine vlla offensione peruenient, quancunq; ijs metam suam siue ingenium, siue industria, siue omnino vtrunq; statuerit. Quod profectò etiam sub fortuna positum atque casu interdum videtur: ita multa in vita sæpe accidunt, quæ auocent ab instituto itinere animum, aliorumq; quàm oportet, ducant. Sed illud tenere omnes debebunt, & quantum in quoq; est, niti atque perficere, qui aut oratoricæ, aut poetices studijs delectabuntur, vt cum Ciceronem tum Virgilium semel complexi nunquam dimittant, nunquam vllis aliorum scriptorum illecebris ab eorum imitatione æmulationeq; reuocentur. Qui si non ita omnibus artis atque ingenij luminibus abundarent, si non vniuersis scribendi virtutibus præditi cumulatig; conspicerentur, essent autem ipsi cæteris vna tantum virtute probatiores, tamen eos nos vnos sequi tantummodo imitariq; dicerem oportere, propterea, quòd vicinius ad perfectam rationem illis ducibus, quàm vllis alijs, progredi

et pertendere possemus. Nunc verò cum nulla omnino virtus, nullum scribendi lumē, nulla egregia indoles, nulla laus in ullo sit, quæ non in vtrouis corū inesse longè etiam præstantior atq; absolutior reperiat, multò id nobis erit constantius, multò diligentius faciendum, ne si alios imitandos sumpserimus, vel prauis iudicij vel imbecilli animi notā subcanamus, cum aut in eligendo nō prudentes, aut in aggrediendo timidi fuisse videamur. Nam de Virgilio quidem nemo ambigit, omnes in vno illo omnium Poetarum (de Latinis loquor) inueniri posse virtutes summa singulariq; dignitate: addunt etiam, admirabiliores multò singulas et præstabiliores: ut si natura ipsa hominum rerumq; omnium parens, ea loqui verbis voluisset, quæ ab ipso per scripta sunt, nec melius affirmant, nec omnino aliter fuisse loquuturam. Ciceronem quidam aiunt verbosiores esse interdum, quàm necesse sit, præsertim cum ab eo de rebus à sese gestis, deq; Consulatu illo suo sermo inducitur: cæterum illum non modò omnium eloquentissimū fuisse, sed ab eo eloquentiam ipsam esse genitam atq; natam putant. Ego verò id neq; vituperare audeo: potest enim illi concessisse sæpe dignitas sua, aut inimicorum improbitas, aut reipublicæ status aliquis, aut alia omnino causa: quare quæ aliquibus superuacua in legendo videntur, ea in agendo necessariæ fuisse à multis poterunt existimari. Neq; defendere magno opere laboro: id enim si peccatum est, non styli culpa, sed animi vitio contractum est: addo etiam, si vis, iudicij quadam peruersione, dum quæ ab ipso prætereunda silentio fuerant, ea illi digna visa sunt, quæ recenserentur. Stylus verò et scribendi ratio eandem illam egregiam præclarāq; semper indolem retinet, eundem orationis splendorem

rem et maiestatem præfert. Quamobrem non tam quidem accusandus esse videtur, si modò accusandus est, quòd ea sæpe commemoret, quæ à se reticere æquius fuit, quàm laudandus, quòd ita semper loquatur, vt commemorari aptius non queant. Quid si ijdem etiam parum constantem fuisse illum dixerint, aut omnino imbecilliozem, quàm vel ratio, vel eius dignitas postulabat: num erit nobis propterea ab imitatione repellendus? Mihi planè, si idem sentiam: quantum quid ego malè mhercule sentiam de tanto viro? sed si ego quoq; idem sensero, mihi eius fortasse vita non vsquequaq; probabitur: orationis autem et styli ratio nihil improbabitur, qui esse optimus in vita nō optima potest. Tam etsi id quidem etiam si orationis esse vitium iudicetur, non ego huius imitationis aut ita partes extendo, præstanda vt vitia sint: nec solùm vt in facie næui, sed vlcera etiam et cicatrices sint exprimentæ: quod qui faciunt, meritò ab Horatio, eo quem tu locum affers, irridentur: aut modum præferio, sic, vt si quis tam præstans ingenio est, tam industrius, tam etiam felix, vt antequam magistrum possit, tamen id fieri neq; debere: cumq; is illum cæteris in rebus æquauerit, si prudentiam adhibere maiorem volet, non probem. Mihi quidem et Phidias et Polycletus probantur, quorū alter Eladum sculpendis, alter Ageladem fingendis imaginibus, quos habebant magistros, superauerunt: et Apelles, qui quidem in picturæ artificio Pamphilum præceptorem suum longissimo interuallo post se reliquit. Itaq; valde mihi illud exoptandum esse videtur, ita animatum, ita instructum esse quempiam, spes vt illum sit omnium hominum eloquentissimum futurum: quod etsi longè maius atq; præclarus est, quàm quod temerè sperandum esse videatur,

nulla tamen nature lex, nulla prescriptio prohibet, conspici unquam ne possit. Etenim quemadmodum Cicero inter Latinos exiit, qui vnus omnes, quicunq; ante illum boni scribendi magistri fuerunt, excelleret, quod quidem magnū atq; diuinum fuit, sic profectō alius existere aliquando poterit, à quo cum reliqui omnes, tum etiam ipse Cicero superetur. Id autem nullo modo accidere facilius potest, quam si, quē antea maxime cupimus, cum maxime imitemur. Absurdum est enim credere, nos aliam inuenire viam posse, quæ melior sit, quam est illa via, quam Cicero non tam quidem inuenit ipse, quam ab alijs inuentam ampliorem & illustriorem reddidit, præsertim cum quo tempore id fieri necesse est, quantum ipsi planè possumus, nondum exploratum habeamus. Quod si quem maxime imitati fuerimus, etiam assequemur, tum adhibenda cura erit, vt illum antea valeamus. Sed omne nostrum studium, omnis labor, omnis nostra cogitatio, in ijs assequendis quos imitamur, maxime omnium est insumenda. Non est enim tam arduum eos superare atq; vincere, quos assequutus sis, quam assequi quos imitare. Quare hoc in genere toto Pice ea esse lex potest: primum, vt qui sit omnium optimus, cum nobis imitandum proponamus; deinde sic imitemur, vt assequi conentiamus: nostra demum contentio omnis id respiciat, vt quem assequuti fuerimus, etiam prætereamus. Itaq; duas illas in animis nostris egregias plurimarum maximarumq; rerum confectrices, emulationem atq; spem, habeamus. Sed emulatio semper cum imitatione coniuncta sit: spes verò ipsa nostra nō tam quidem imitationem, quam successum imitationis subsequi rectissime potest. Ac Ciceronis quidem imitatio omnibus, qui pedestri oratione scribere aliquid volent, oportuna

portuna esse poterit, quacunq; illi de re atq; materia sit scribendum. Idem enim stylus aptari rebus innumerabilibus potest. Nec audiendi sunt qui existimant, Plinianam de natura rerum Historiam Ciceroniano scribendi modo atq; via tam commodè explicari nō potuisse, vt ab ipso est more illo suo explicata: quod oportuisset in infinitam magnitudinem opus exercuisse, si ad illas multiplices innumerabilesq; res, de quibus erat scribendum, exuberantiam Cicero suam, ornatumq; sermonis adiunxisset. Neq; enim in omnibus eius scriptis, cum idem sit stylus, eadem tamen amplitudo inesse, idem verborum apparatus cōspicitur: sed quedam vberiora sunt, & tanquam succi plena: quedam exilia, & suo tantum robore nitentia, vt esse quasi sine cortice videantur. Neq; si crescere eorum librorum magnitudo debuisset, non propterea fuissent ipsi nobis multo etiam gratiores, cum quanto plus ab eius calamo atramenti, tanto plus ab ingenio atq; artificio dignitatis et pulchritudinis hausissent. De Virgilio verò non idem possumus dicere, vt idoneus sit, quē, qui carminibus delectantur, imitari omnes queant. Neq; enim qui aut elegos, aut lyricos conficiunt versus, quiq; vel Tragediarum vel Comædiarum scribendarum studio detinentur, horum vllos Virgiliانا carminum structura, numerus, ratio ipsa multum iuuabit: sed imitentur ij quidem eos, quos habent principes, singulis in scriptorum generibus singulos, atq; illis assequendis superandisq; sese dedant. Quod profectō nos aliquando fecimus, vt in elegis pangendis, qui optimus eo in genere poematis nobis visus est, eum imitemur. Heroicis autem conscribendis carminibus qui se dederit, huic certè erit Virgilius ediscendus, ebibendus, & quam maxime fieri poterit, exprimendus, quemadmo-

dum coram tibi dixeram mihi videri. Atque hanc quidem cum Virgilij, tum Ciceronis, tum aliorum excellentium in suo cuiusque genere scriptorum expressionem non ita intelligi volo, ut præter stylum & scribendi rationem (viti autem me iisdem sæpius verbis non pœnitabit) nihil omnino à quoquam sumendum existimem: nam & licuit id quidem certè omnibus, & semper licet. Quis enim opus legitimum conficere potest vllum, qui nihil mutuetur, nihil à quoquamumat, quod scriptis inserat atq; interspergat suis? Quis non aut sententias, aut similitudines, comparationesq; aut alias scribendi figuras atque lumina? quis non aut locorum, aut temporum descriptiones, aut ordinem aliquem ac seriem? quis non etiam aut belli, aut pacis, aut tempestatum, aut errorum, aut consiliorum, aut amorum, aut aliarum omnino rerum exemplum aliquod ab ijs capiat, quos multum perlegerit, quos diu in manibus habuerit, cum Latinis, tum Græcis, tum certè etiam vernaculis, ut sunt nonnulli excellentes in ea lingua viri? Itaque liceat, quicumque id facere vult, ut semper licuit: sumantq; ab alijs, qui scribunt, quod videbitur: sed parcè id, & prudenter faciant: non sanè, quia sumere etiam rectè multa nequeamus: possumus enim, & multi magni atque clari viri idem fecerunt: sed propterea, quod præclarior est illa omnia inuenire nos, & quasi parere, quam ab alijs inuenta mutuari. Maximè verò carum rerum ratio tum probatur, laudabilisq; est: si id perficimus, ut que mutuati sumus ipsi, ea splendidiore illustrioraq; nostris in scriptis, quam in eius, à quo sumimus, conspiciantur: ut non minor in exornando laus, quam in inueniendo fuisse videatur. Neque enim mihi placet Atilius, qui Sophoclis E-

lectram

lectram optime scriptam male transtulisse dicitur: sed nostr Maro, qui ab Hesiodi Georgicorum libris multa sumens, atque in suos transferens, ea omnia reddidit meliora. Quamquam quidem eius generis ita multa Virgilianos omnes libros referunt, ut appareat non tam illum, quod ex se promeret, desiderauisse, quam quod antiret, ex industria quæsiuisse: multoque plus in victoria glorie, quam in inuentione posuisse videatur. Qua te quidem de re omni eò monitum volui, quod sunt quidam, qui non solum ea que ad stylum scripturamq; pertinent, sed illa etiam que dico, queque de genere alio sunt, cum sumuntur, vno imitationis verbo includunt. Qui quidem mihi Ciceronem eo, quo supra commemoravi, loco legisse parum videntur, vbi ille, quid imitatio sit, definit. Nam si ea profectò imitatio est, qua impellimur, ut aliquorum similes in scribendo esse valeamus: in imitatione autem non styli modò, sed etiam materie, ordinis, sententiarum, aliarumq; planè rerum extra stylum positarum ratio includitur: quid est, cur non ego Aeneæ, Ascanij, Didonis, Latini, Turni, Lauiniæ, tantum mutatis nominibus, Virgilij Aeneida mihi totam sumam? Quare si nolunt ij parum herentia videri dicere, aliud sumere, aliud esse existimant imitari: & cum Heroicorum Catulli versuum rationem imitatum fuisse Virgilium dixerint, si modò id volent dicere, tum si eum affirmabunt cum ab illo, tum à cæteris vel Latinis vel certè Græcis non Poctis modò, sed etiam Oratoribus ac Philosophis multa sumpsisse, verisimè pronuntiabunt. Ac mihi quidem ipse interdum videris, cum tuas literas lego, ita sensisse, ut virum quis aliquem imitetur, an ab illoumat, quod in sua scripta transferat,

differre nihil duxeris. Quod si est, equidem letor, vnius tantummodo verbi interpretatione mutata, rerum non miniarum neq; sanè spernendarum inter nos magna ex parte controuersiam posse finiri, cum hoc certè modo propè idem, quod tu, omnes esse bonos imitandos facìle dixerò. Quid enim mihi esse aut propter nostram beneuolentiam iucundius, aut propter aliorum existimationem de tua doctrina laudabilius potest, quàm nulla me in re abs te magno opere dissentire, homine multarum maximarumq; rerum disciplinis erudito, summo ingenio, summa integritate prædito, & in secunda fortuna temperato, in aduersa erecto, atque in omni vita magno ac probato viro? cuius tam multi leguntur iam habenturq; in manibus egregiè perscripti libri, vt me non solum opinionum hominum facìle vincere, sed etiam obruere scriptis possis. Sin verò aliter se res habet, tamen gaudeo nullas inter nos opinionum sententiarumq; diuersitates & controuersias esse tantas posse, tamq; graues, quas profectò & mea summa in te obseruantia, & tuus erga me amor non leuissimè ferat: præsertim cum de Amore librum conscribas, de quo qui ceteros doces, non vereor ne illud non didiceris, amandam esse in primis veritatem, idq; qui faciat, in eo neminem lædere, aut etiam qui se facere existimat: nam id quidem in multis credi, quàm sciri, facilius potest. Quanquã non ego is sum, qui me falli non putem posse, præsertim cum Aristoteleos tam multis in locis libros, atq; vniuersam propè antiquorū philosophiam abs te reprehendi videã. Fieri enim potest, vt, quemadmodū ego rectè me sentire existimo, qui tibi videor à veritate abesse longissimè: ita tu rectè sentias, cum mihi tamen videatur secus. Neq; illud mihi assumo, vt his literis te atq; ceteros,

ros qui aliter sentiunt, ad meam opinionem traducã. Quid enim esset, ineptius, quàm cui aut Maro aut Cicero diuina illa suorum scriptorum tot atq; tantorum maiestate imitandos esse se non persuaserunt, id ei putare me vna mea epistola persuasurum? Est tamen humani animi, & vt ego arbitror, non contemnendi, qua ipse verisimilitudine dubijs in rebus cognitioneq; dignissimis ducatur, quã plurimos velle certos facere, vt aut reprehensione aliorum se corrigere, aut comprobatione confirmare possit. Id me vnum voluisse vt exiheres, te etiam atq; etiam rogo. Vale. Calen. Ianuarij. M.D.XIII. Romæ.

P E T R I B E M B I D E
A E T N A A D A N G E L V M
C H A B R I E L E M
L I B E R.



Actum à nobis pueris est, & quidem sedulò, Angele, quod meminisse te certe scio, vt fructus studiorum nostrorū, quos ferebat illa ætas, nō tam maturos, quàm vberes, semper tibi aliquos promeremus. Nam siue dolebas aliquid, siue gaudebas (quæ duo sunt tenerorū animorum maxime proprie affectiones) cōtinuò habebas aliquid à me, quod legeres, vel gratulationis, vel consolationis: imbecillum tu quidem illud & tenue, sicuti nascentia omnia & incipientia, sed tamen quod esset satis amplum futurum argumentum amoris summi erga te mei. Verum postquam annis crescentibus & iudiciū & studia creuerunt, nosq; totos tradidimus Græcis magistris crudiendos, remissiores paulatim facti sumus ad-

scribendum, ac iam etiam minus quotidie audentiores. Itaq; quas pueri miserimus ad te lucubrationes nostras, numerare aliquas possumus: quas adolescentes, non possumus: quo in consilio nobis diutius permanendum esse non puto. Nam ut interdum non loqui moderati hominis est, sic semper tacere cum eo quem diligas, perignavi. Neq; hercule, si in officio permansimus in prima etate, debemus nunc, tanquam in exercitati histriones, in secundo aut tertio actu defecisse, praesertim cum aemulatio tuorum nos studiorum, Angele, non excitare modò languentes possit, sed planè etiam incendere: quippe qui multa & praeclara habuimus à te semper, habemusq; quotidie, & consuetudinis nostrae testimonia, & doctrinae tuae. Quare sicuti pueri scriptiunculas nostras, quasi lactantis ingenij acerbiter, detulimus ad te, sic nunc deinceps etiam ad te adolescentiae nostrae primos fetus deferemus, non ut me ipse plus ames: nam iam id fieri posse vix puto: sed certè quia ita debemus inter nos: neq; enim arbitrator chariorem fuisse ulli quenquam, quàm tu sis mihi. Sed de his & diximus aliàs satis multa, & saepe dicemus. Nunc autem, quoniam iam quotidie ferè accidit posteaquam è Sicilia ego & tu reuersi sumus, ut de Aetnae incendijs interrogaremur ab ijs, quibus notum est illa nos satis diligenter inspexisse: ut ea tandem molestia careremus, placuit mihi cum sermonem conscribere, quem cum Bernardo patre meo habui paucis post diebus, quàm rediissemus: ad quem reiciendi essent ij, qui nos deinceps quippiam de Aetna postularent. Itaq; confeci librum, quo uterq; nostrum communiter uteretur. Nam cum essemus in Noniano, & pater se, ut solebat, ante atrium in ripam Pluuii contulisset, accessi ad eum progresso iam in meridianas horas die: ubi quae locuti si-

ti sumus inter nos, haec ferè sunt. Tibi verò nunc orationem vtriusq; nostrum, tanquam habeatur, explicabo, non tanquam recenseatur. Igitur cum illum multa in umbra sedentem comperissem, ita initium interpellandi cum feci.

P E T R V S B E M B V S F I L I V S .

Diu quidem Pater hic sedes: et certè ripa haec virens, quae populi tuae istae densissimae inumbrant, & fluuius alit, aliquanto frigidior est fortasse, quàm sit satis.

B E R N A R D V S B E M B V S P A T E R .

Ego verò Fili nupsia esse libentius solco, quàm in hac cum ripae, tum arborum, tum etiam fluminis amoenitate: neq; est quod vereare, ne quid nobis frigus hoc noceat, praesertim in tanto aestatis ardore. Sed fecisti tu quidem perbene, qui me ab ijs cogitationibus reuocasti, quas & libentissimè semper abijcio, cum in Nonianum venitur: et nunc quidem nobis nescio quo pacto furium irrepserant non modò non vocantibus, sed etiam inuitis. B. F. De repub. scilicet cogitabas aliquid, aut certè de Triumviratu tuo: saepe enim ex te audiui, si fieri possit, velle te, in agris cum esses, quoniam tibi id cum modicè contingeret, tum etiam pererrò, de ijs quae in vrbe agantur, tanquam lethæo aliquo sumpto poculo, nihil omnino recordari. B. P. Est ita, ut dicis: nam cum ab vrbe propterea me frequentiaq; hominum, tanquàm à fluctibus, in hunc solitudinis portum recipiam, ut relaxem à curis remittamq; paulisper animum, meq; ipsum restituam mihi, atq; ad reliquos confirmem labores, ut in ludis athletae solent, qui cum prima in lucta desudarint, considunt parumper, seseq; reuocant, ut sint ad reliqua postea certamina valentiores: si tamen illa ipse me rus etià prosequuntur, quas fugio curas & sollicitudines, profectò nihil ago, quod

mibi quidem nunc ipsum euenit, qui cum solus in hac ripa sederem, vt dignum aliquid hoc silentio meditarer, ecce nos vnda illi ipsa resorbuit urbanorum negotiorum, paulatimq; in Triumviratus mei curas delapsus sum. B. F. Ita sanè coniectabar: visus es enim mihi iam dudum nescio quid multa cogitatione commentari, neq; eo vultu, quo esse hic soles, hilari & soluto, sed quo te in vrbe conspiciamus, contractiore interdum & graui. B. P. Rectè coniectabare. Sed ista tandem, quoniam nimis iam molesta sunt, obliuiscamur. B. F. Vtinam ipse id possis Pater, tibiq; istud, quando ita te iuuat, tam facile factu esset quàm dictu est. Sed omnes curæ, quæ quidem sint maximæ ita ferè se habent, vt si insequaris, non fugiant: si fugias, etiam insequantur. Munus autem istud tuum cum est ipsum negotiosissimū per sese, quippe à quo ferè omnes reipub. nostræ partes pertractantur, quoadq; vniuersæ ciuitatis cæterarumq; urbium nostrarum aduocationem sustinet: tum verò illud etiam accedit, quòd tu is es, qui maximè omnium tranquillitatem animi requietemq; deames: quo fit, vt magis etiam illa sentias, quæ te premunt. B. P. Est fili, est sanè causa illa quidem non leuis, quæ mihi labores adauget meos: sed tamen, vt verum fatear, aliud quiddam maius me mouet, quod ipsum nuper me in urbem reuocauerat, sic dum sederem, reuocatq; sæpissimè. B. F. Quid illud tandem est? B. P. Quòd reipub. causa non commoueri neque vellem, si possem: neque possem, si velim. Nam cum ab incunte ætate ita vitam instituerim meã, vt patriæ adessem semper, prodessem cum possem, potuerim autem nonnunquam vel iuuenis & domi & foris, illa verò me sæpe muneribus reliquis, sæpe legationibus honestari: cum ipse si deseram nunc, cum & expe-

rientia

rientia & consilio & autoritate plus valeo, quid sit aliud, quàm si tu me iuuenis senem desituas, filius patrem? B. F. Duas igitur causas prædicas, Pater, curarum tuarum, duras tu quidem illas et graues: verum quia te sciente à te ipso proueniunt, perferendas. Nam qui te idem & actionibus tradidisti, quibus ocio inimicius esse quid potest? & rus amas secessusq; istos tuos, quæ quidem, cum multò diutius ipsis carereas quàm fruaris, vitam tibi illam efficiunt molestiorem, dolendum tibi nò puto, si te vel illis ipsis rebus condemnes, quas fugis, vel fugias omnino, quæ te iuuant. Sed illud tamen quale est, quod te dixeras reipub. causa commouerit? an te sortasse mi pater motus ij Galliarum perturbant, qui feruntur? B. P. Minimè illi quidem: verum admodum gaudeo te è Sicilia rediisse: nam si aliquid eueniret, malo te hic esse, vbi omnes sumus, quàm illic, vbi neminem habes tuorum. B. F. Equidem adsum ac libens, cum ea de causa, tum quia vobis omnibus carebamus iam nimium diu: caue tamen putes nobis hoc Siciliensi biennio quicquam in vita fuisse iucundius. B. P. Gaudeo & id quidem idq; ipsum ex eo suspicabamur, quòd nondum ad nos cogitabatis. Sed postquam in eum sermonem incidimus, vt de Sicilia loqueremur, narra mihi quemadmodum ea se habent, quæ de Actneis ignibus & feruntur passim, & leguntur: te enim accessisse illuc cū Angelo tuo, totumq; montè perlustrasse audiebamus: & nobis quidè certè nunc vacat: quid enim hoc æstu agamus meridiani? neq; est, quod ego soleam libètius, quàm de naturæ miraculis audire. B. F. Hæc verò vt libet modo valeã recensere, et quidè eiusmodi sunt, vt tibi audienti afferre vel magnā possint, mihi certè narranti semper aliquã afferant voluptatè. quanquã quidem iam hoc ipsum facimus

nimis sepe: quàm enim multis nos eadem ipsa censes postea quæ Sicilia reuersi sumus, narrauisti? Sed consurge, si placet, ab hac umbra: nã in ripis quidem omnis quæ sit accubatio, ea si longior est, esse admodum grauior solet, atque ad illa buxeta nostra, si tibi videtur, sedesque pergamus. B. P. Periniquum tu quidẽ facis, qui de ignibus loquuturus, ab umbra et frigore decedendum putas: sed quãdo ita vis, propter aquã potius in ripa decumbemus, et cum fluuio sermoni reliquo demus operã loquentes: ita mihi videbor melius tuas illas flammã Aetnens, si me offenderint, Pluuii mei vnda temperaturus. B. F. Illa verò neque te offendet, cum absint longissimè: neque hic si adessent, reslinguere illas posset Pluuius tuus, cum mare ipsum etiã cedat illis volentibus, atque earum ardoribus contrahatur. B. P. Magnam exordium inchoas fili, ac iam planè vix credenda sunt ista quæ dicis: verum qui ita fiat, explana id etiã mihi. B. F. Faciã, vt iubet: sed opus est antè, quàm illud veniã, vt aliqua te prædoceat deque insule, deque motis natura: quibus cognitis, ad ea quæ postulas, recta pergemus via. B. P. Agè, vt libet, modò ad illa etiã aliquãdo veniamus: quin etiã mihi feceris gratissimũ, si ea lege inceperis, vt ne quod pulchrum præteratur, siue vidisti aliquid, siue audiuisti, siue quid es ipse commentatus. B. F. Ego verò, si placet, iter tibi nostrum omne ordine recensebo, teque à Messanæ mœnibus usque in Aetnæ cacumen perducam. B. P. Placet, et cupio: incipe igitur, vianque ipsam omnem reminiscere, et tanquam recurre, si potes. B. F. Agam sedulo id quidem. Itaque ne te teneã diutius: Quartidécimus mensis agebatur, ex quo ego et Angelus meus apud Constantinum præceptorum Græcarum literarum studijs exercebamur: neque sanè adhuc vacuum illum tempus dederamus nobis laboris, ac

ne vnũ interea integrum intermiseramus diem. B. P. Nimirum fuistis assidui vestris in studijs adolescentes, vel etiã superstitiosi: annum et menses nouæ linguae rudimentis incubuisti, nullo intermisso die: mirum, si vos vel habitudo illa prior destituit, vel color: nos tamen è nauigatione traxisse vos pallore istum et macie putabamus. B. F. Ita euenit: sed iam tandem nos ipsos respeximus: placuit enim vt Aetnam viseremus, atque interea, dum animi relaxarentur, quod efficere vel occupatissimi debeamus, tantum naturæ miraculum etiã feriati nosceremus: ita iucundis aliquot sumptis comitibus, qui nos perductarent, consedis equis Messanã reliquimus. Sed iter summo littore facientibus nobis Taurominium usque memorabile nihil cõspectum est. A Leua statim Rhegium et Brutij agri paruo primùm, mox latioris maris intervallo aperientibus sese perulatum angustijs, prospectatur: à dextra colles cõtinui imminet, Bacchi tota feracissima plaga, et Mamertinis vinctis minus fortasse quàm olim fuit, tanquam ab ipsa vetustate contractis iam laudibus, sed tamè satis nunc etiã percelebris. In medio ferè itinere vel paulò amplius, castellum Nisus ex acria motis rupe viatoribus se ostendat: vnde illud deuocutum Ouidianum,

Nisiades matres, Sicelidesque nurus.
Incola valem etiam omnem, quæ subest, Nisi regionem vocant. B. P. Erit isto sanè modo etiam aliquid infra Taurominium memorabile: nam de hoc Poetæ versu, si rectè memini, nobis pueris nondum inter grammaticos conueniebat: qua quidem in re adhuc illi arbitrum si querunt, planè video eam controuersiam posse dirimi à Niso tuo: à quo nescio quàm blandè ceteri hospites excipiantur, te certe, vt illi dicerent, etiam elegantiozem remisit. Sed sequere. B. F. Taurominij cum veterum monumentorum

Reliquie plures visuntur, templa, sepulchra, aqueductus: quin sepe temerè Græca numismata passim effodiuntur, a fabricè facta illa quidem, neq; in æs modò insculpta, sed in argentum, sed in aurum, quod etiam Syracusis crebro accidit, & est iam totius ferè infulæ familiare: tum coctile theatrum adhuc manet: paulò quàm id, quod Romæ vidimus, minus, nisi quod illud amphitheatru est. quæ quidem omnia cōinspexi diligentius, quòd te recordabar plurimum semper veterum hominum imaginibus monumentisq; , tanquam virtutum illorum & gestarum rerum testibus, oblectari. Vrbs ipsa loco præcelsò atq; edito sita, & montium angulo promissa in pelagus, mare Ionium longè lateq; prospicit. Theatrum vltimam anguli rupem insedit, quæ collis conspicuus ante omnem urbem in circum planitiem ducens audentior procurrat in mare, atque hinc fluctibus, inde vrbe mediù ipse terminatur. E Taurominitano demissi iugo, & littore paulatim relicto, vallonq; ingressi, quàm à leua Actnæ radices, à dextra Taurominitani montes efficiunt, per eam Randidium peruenimus nouù oppidum, & in Actnæ radicibus, qua parte mediterranea despectat, situm. Iter totum à Taurominio nobis quatuor & viginti mil. pass. confectum est. Vallis sonoro & perpetuo flumine scinditur & irrigatur. Platani numerosa sylvæ, vtrâq; ripas inumbrantes, maximam sibi vallis partem egregiæ incolæ vendicarunt. B. P. Ain tandem, platanos illæ habent ripæ? B. F. Pulcherrimas illas quidem, & multissimas, vt non Socratem modò, aut Platonem, scholasq; omnes mitiores suis vmbri inuitare possint ad philosophandum, sed etiã Gymnosophistas durissimos illos quidem homines, & sole admodum delectatos. B. P. Quàm vellem, vt cum earum duabus possimus,

mus, vel tribus arboribus, multò plures fructiferas arbores ex illis quas in quincuncem dispositas habemus, cōmutare. B. F. Vtinã ille tibi potius pater ijs stantibus totum Pluuium obduxissent: poterant enim vel vniuersum Nonianum: sed nescio an isto sub cælo prouenirent. B. P. Equidem arboror: nam illis postquam in Italiam trauctæ sunt, & quidem ab ipsa Sicilia primùm, multæ vrbes abundauere: quanquã posteriorū hominū negligentia deperierint: nos enim dum Romæ essemus, vnam, quæ in ima ripa speculi est Dianæ Aricinæ, pro miraculo vidimus. Sed nihil est profectò, mihi crede, nihil est fili (vt ego semper dicere soleo) quod effici ab homine cura diligentiaq; non possit: nos enim, vt de meipso loquar, quibus tamen, ex quo hanc villam edificauimus iam inde antequam tu esses natus, consumere hic nondum etiam licuit triginta integros dies, neq; quando licebit scio, cupiam certè semper, & peroptabo, vides quàm multos tibi posuerimus ordines pulcherrimarum arborum vel nostratium, vel aduenarum? quòd si etiam platanos habuissim, nunquam illæ me viuo periissent: & haberes tu quidem nunc, quo melius inuitare posses Faunum tuum: & ille, quo libentius accedere. B. F. Vellem equidem mi pater: sed quando id effici non potest, oblecta te populis tuis: tum etiam, si placet, sicuti matres filiorum nomina, qui desiderantur, in eos sepe transferunt, quos habent, ita & nos platanos istas vocemus. B. P. Mihi verò placet has populos semper vocari: atq; haud scio, an etiam cum eas tempestas reuulsisse consumpsit, vt ait ille de quercu Marianæ, tamen erit in Noniano populus, quàm Bembeam populam vocent: ita mihi quidem videtur illas eternitati commendasse suis carminibus Aurelius nostrer. Quare,

Quæ vitreas populos arduo
 Bembeas ad aquas vertice tollitur,
 Viuum cespitem obumbrans
 Intonsa bicolor coma,

fit semper populus, crescat, surgat altius vel aquila hac, vel Poetæ versu. Sed vt ad platanos redeam, non tam hoc mea causa cupiebam fili, quàm tua: ego enim me oblectaui satis, tum experiendo illud didici, vt ne quid admirarer: neque si quid serò aliquando, quod facio semper, cum licet, siue ædifico aliquid, aut paro, propterea id facio, vel quia illis omnibus rebus putem me esse vsurū, cui me ipso vt iam meo ipsius iure non licet, vel quia non facile illa possem contemnerc, quibus carerem: quid enim mihi potest iam ad eos dies, qui mihi reliqui sunt ad viuendum, esse non satis? vobis illa parantur pueri, vobis illa inquā, non mihi: scio enim quàm à parentibus quesita hæc, dulcius accipere solcant liberi, quàm ipsi facile comparare, siue quòd in querendis rebus pleriq; laborem fugimus, in partis omnes voluptatem amamus, siue quòd in ijs, quæ nobis à maioribus nostris relinquuntur, insit etiam memoria illorum, qui tradidere: quæ illa nobis nescio quo pacto cum sanctiora efficiat, tum certè facit multò etiam iucundiora. B. F. Mihi quidem pater & nunc ista charissima sunt, quæ, qua es in nos amoris exuberantia, à te video dici, & crunt semper, dum viuam, fixa animo & memoriæ meæ, cupioq; vt ex ijs ipsis rebus, quæ mihi à te, quæq; fratri comparantur meo, longissimam ipse nobiscum percipias voluptatem. Sed si tibi nos vnquam naturæ lege superuiuimus, habeo alia ego, vt de me tantum loquar (nam de fratre quanquam multa possent dici, malo illi integram causam relinquere respondendi tibi) habeo a-

lia

lia inquam, quæ mihi sanctissimam tui memoriam semper efficiunt etiam absq; Noniano tuo: quippe qui me puerum educaueris non diligenter modò, sed planè, quod verè mihi videor esse dicturus, etiam religiose: habueris tecum in legationibus tuis, imbueris optimis moribus, omnibusq; bonis artibus, quod in te esset, ita semper institueris, vt vere ar ne sim prorsus ingratisissimus, vltra hæc mihi à te si quid vnquā reliquū optauiero, tum si de ijs ipsis tibi nō ego semper maiores gratias habuero, quàm si mihi magnificas villas construxisses. Quare ista quidem de causa nihil est sanè quod labores. B. P. Ego verò ac multum: nam qui tibi illa præparauerim, quæ sunt longè potiora, meo quidem iudicio, & vt video, etiam tuo, curandum mihi est hæc tibi vt ne desint: quæ cum minora quidem sunt, valde tamen sunt necessaria: quemadmodum si te quis ad cenam vocet, ferculaq; afferat etiam varia, tum sumptuosa, vina multifariam apponat, ministròs adhibeat, calices querat, et vasa vel argentea, vel aurea, nisi statuerit triclinium, aut mensas in hortulo disposuerit, vt tibi stanti cœnandum sit, certè tu illum nihilo probes magis, quàm si tam multa omnino non parauisset. Ita mihi euenit patri: nam quòd te rectè instituerim à puero, mecum habuerim semper, vtranz; linguā te docendum curarim, id est ad cœnā vocasse te satis dubiam & sumptuosam, in qua depisceres animum tuum, teq; ipse conuiuia elegans oblectares: conuiuie namq; sumus omnes, dum viuimus: neque aliud est omnis vita nostra, qua sub hac mūdi luce fruimur, quàm longa cœnatio, aut, vt iam verius dicam, conuictio. Quòd si nec sedem vllam tibi, nec vmbra aliquā præbuero cœnanti, hoc est, nisi viuenti diuersorū secessumq; gratum aliquē parauero studijs et Musis tuis, profectò nō tam in illis laudat

Ddd 2

bis diligentiam meam, quam in his etiam culpabis negligentiam: neque tam pulchra ea tibi esse videbuntur, quibus abundaueris, quam fuisse illa, quibus carebis, necessaria: ita fiet, ut cum semel abiero, tu me sepius accuses, quam probes. B. F. O mi pater, me ne tam impium unquam futurum, ut te audeam accusare: ego te unquam accusem pater: quid si non tu me sepe monuisses, et ego aliquando scriptum legissem a summis ac sapientissimis viris, animi bona esse, quae beatos homines facerent sola ipsa per se, quaeque operis externa non egerent, ea neque eripi posse cuiquam, nec etate senescere, nec morte interire: caetera omnia manca esse, labilia, momentanea: quae quoniam fortuna et casu regerentur, tanto esse magis quaeque, quantum illa continerent, vel diuiter, vel etiam sapienter animos nostros ex aetherea sede in hac corporis labem profectos ea lege, ut ad illam ipsam purgati aliquando reuenterentur: quae hic essent, despicere: ad illa se intendere, quod properaret me verum, quae ista quandoque docuisses, nisi mihi villam reliqueris solutaque platanorum, putas tibi esse successurum: non est ita mi pater: ne putes. B. P. Non puto. B. F. Neque me tam dementem existimes velim. B. P. Non existimo. B. F. Quid ita igitur loquebare? B. P. Quia noueram mores hominum, tu etiam praetentare te prorsus volui, quam recte ista sentires. Sed omittamus haec iam tandem filii, atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, reuertamur. B. F. Imo verum pater nec reuertamur: quid enim amplius nobis cum platanis illis? de ijs enim loquebamur. Sed (si placet) ad Aetnam potius, de qua sermo haberi coepit, propemum. B. P. Mihi verum placet, ita tamen ut ne festines tibi, enim ego omnes has pomeridianas horas dico. Et quoniam me impellente nimium iam extra Aetnae terminos prouecti sumus, non committam ut te interpellare sepius, nisi quid erit, quod de ea ipsa te roget. B. F. Tu verum ut libet: ego autem

ut te

ut te video velle, sic faciam. Sane mos ipse situ, forma, magnitudine, fertilitate, incedijs mirus, demum tota sui qualitate ac specie longe conspicuus, et sibi vni par est. Ab aurora mare Ionium bibit, et Catanam sustinet imo in pede: cum sole descendit in insulam ea parte, qua Tyrrhenum pelagus est, et quae Acoliae appellatur: lateroribus, in septentriones vergenti Pelorus abijcitur, et Italiae angustiae sunt: contra reliqua insula subiacet, etra et usque ius omnes, qui cum Libya eo in Africam proteduntur. Ipsa Aetnae radices suas ferre in orbem deducit, nisi sicubi orientem et meridiem versus promisso cliui paulisper exteditur. Coelebs degit, et nullius motus dignata coniugium, castre intra suos terminos continetur. Circatur non minus, quam centum milia passuum: ascenditur ferre per viginti, quae breuior via. Imi colles, ac omnes radicibus ambitus per oppida, et per vicus frequens incolitur, Baccho, Pallade, Cerere feraces terrae, armentorum omnes generis supra quam credas, feracissima. Hic amoenissima loca circumquaque: hic fluuij personantes: hic obstrepentes riui: hic gelidissima fontium perennitates: hic prata in floribus, semper et omni verna die, ut facile quilibet puellam Proserpinam hinc fuisse raptam putet: hic arborum multijugae species, et ad umbram crescentium, et ad fecunditatem: in qua etiam tantum excellit caeteras omnes arbores, ut mihi quidem magis huic loco conuenire videatur ea, quae de Alcinoi hortis finxit Homerus, quam ipsi Phaeaciae, in qua certe nos cum Sicilia rediremus, nihil eiusmodi vidimus, quod nos tantopere oblectaret: ut etiam non inurbane Angelus meus interrogati eum cuidam ex Phaeacibus, qui nobis urbem omnem ostenderat, quidnam illi videretur, ita responderit: Ego Phaeaces debere vos quidem, inquit, Homero permultum existimo, qui vobis plura etiam tribuit, quam ipsa natura. Refra (si potero) Latine, vel certe

vt potero: nam aduerti propterea tum etiam diligentius illum ipsum Homeri locum:

Hic nemora in caelum late crescentia surgunt,
Punicei pomum grani, malumq; pirumq;
Et dulces ficus, & magnae Palladis arbor.
Non illis borealis hyems, non officit aestas
Torrida: sed placidas zephyris spirantibus auras
Arboribus totum superat foetura per annum,
Et pomo infenuere recentia poma priori,
Et noua iam miti superaducit vna racemo.

Medius mons nunc varijs arboribus late syluescit, & praecipue pinis & fagis maximam in magnitudine multitudinemq; crescentibus: quarum illae inferius, haec sublimiores sunt: nunc nudo latere arabiles in plagas extenditur, & saepe vsque ad imum descendit, frumentis adeo fecundus, vt credita non minus in centupla segete cultoribus ferat. Itaq; prudenter, vt multa, illud etiam prisca viri, quod nobilissimum templum Cereis in Aetna constituit: vbi enim potius dea segetum coleretur, quam vbi segetes optime prouenirent? Atq; id quidem tantum de segetibus. Verum ab vniuersa Aetnae fertilitate, vt opinor, fabula etiam emanauit, Aristum giganteo in monte ita saluum esse atq; viuere, vt neq; ab Aetna prematur vnquam, neq; flammis caelestibus inuratur: quod optimi & vberissimi essent fructus, qui per Aetnae lacum nascerentur, nullo telluris vitio, nulla aeris offensi malignitate: nam & Aristos Graeci quidem illos vocabant, qui vicissent in certaminibus: quod verbum ab optimo deductum est credo: quia nisi optimi non vincerent: & gigantes scimus esse filios Telluris appellatos: ita, quoniam fructus vniuersos tellus quasi mater parit, cum fructus Aetnaeos esse optimos atq; vberimos vellent dicere, tanquam

quam ceteros superaret, fabulae datus est locus non inueniuste quidem, si tibi ita videtur: expecto enim etiam quid tu sentias scire abs te. B. P. Mihi sane videtur: itaq; redde cetera. B. F. Reddam pater, atq; illa ipsa quidem quae a principio postularis, & quorum causa ista omnia dicta sunt: ventum est enim ad id, vt iam de ignibus loquremur. B. P. Verebar sane, tu ne me longius circumduceres: quanquam quid longum mihi esse hac in re, quae de nunc agimus, atq; hoc in ocio potest? B. F. Curabo id quidem, ne fiat, si potero, quantum potero diligenter. B. P. Imo hercle fiat potius, etiam id si facere ipse, ne fiat, potes: non enim impedio: illud autem ideo dixeram, quia te putabam antequam istuc accessisses, aliquandiutius erraturum. B. F. Ego vero existimabam pater, errauisse me sic etiam nimis diu. B. P. Non est ita: sed ne nunc tandem erremus, perge de ignibus, vt proposuisti. Verum autem quid haeres? B. F. Pergam equidem, vt iubes: sed scinam quam in salcibrans inciderim? B. P. Nihil profecto minus. B. F. Dum tibi ad ignes festino, eam Aetnae partem, quae nobis vna restabat de tribus (sic enim pariri soleo, & qua sine ad ignes ipsos perueniri non potest) penes omiseram suboblitus: ita Aetnam, quasi Chimerae, cecideramus, & tanquam rocam capite multauimus imprudentes. Sed agam nunc tutius, ac de vtroque simul loquar. Superior itaque montis pars (nam iam de ijs quae infra sunt diximus) vsque ad summum cacumen nuda variam faciem ostendit: nam alibi semiberbosi tractus sunt intersurgentibus topphis, qui etiam in Pedemontana regione passim visuntur: alibi per summam ora exundans incendium saxis fluentibus totas plagas occupauit: alibi arenarum campi magnam in longitudinem & latitudinem extenduntur. In supremo crateres duo sunt, quorum

alterū, qui quidem inferior est, ipsi vidimus in putei rotunditate angustum, emissis veluti gemina sponda circumquaq; saxis tum exustis, tum diuersicoloribus: atq; hunc lapidea plantities ambitu angusto continet: quò vt primum inscendimus, sulfurcis statim nebulis & vrenti fumo, veluti è fornace, percussi ora, penè retulimus gradu: mox crescente audacia, quà ventus perflabat, paulatim ingressi craterem ipsum tetegimus manu. Effundebatur inde, tanquã ex camino, fumus, non intermissa exhalatione: is tamen etiam scissa per longa incendia montis cute, ventis intus furentibus, qui eo die vehementes fuerūt, multis in locis sibi faciebat exeundi viam: interdum quoq; repente ipsis sub pedibus exiliens, manere nos vno in loco nō permittebat. quinetiã illud accidit, vt quem locum maximè contemplantur, quòd erat saxis nuper effusis, & adhuc ignem & sulfur retinentibus incrustatus, per hunc, qua parte concesserat in rimam, subito efflueret igneus riuus, ac pedes ipsos inter emissa ex riuo saxa vrentia proflirent. B. P. Quid ais? per eã ni me totũ comoues fili, atq; etiã perterrefacis tua ista oratione. Quid autem saxa illa? an quenquã vestrum læserunt? B. F. Neminem profectò pater: quin etiam eorũ duo, cum refrixissent, quæ manu capi poterant, Messanam deportauimus sulphuris partem seruantia, cætera subnigra. B. P. Quid enim vos tam vltra temerè procedebatis? B. F. Quid cum licere illic nobis tutò consistere putabamus, tum etiam lustrandi singula studio, vel potius auditate ferebamur. B. P. An nesciebatis, Plinium illum maiorem ita occidisse, dum nimium diligenter, ne dicam inconsultè, Vesuuiam incendij causas perquireret, montemq; perlustraret? B. F. Quid ni sciremus pater? verum tanta nos delectatio illius spectaculi

spectaculi detinebat, tanta rei nouitas, tantus inuaserat stupor, vt sui ipsius iam nemo satis nostrum recordaretur. Sed missa hæc faciamus, atq; ad illã planitiẽ, de qua modò dixerã, reuertamur: quæ quidẽ ita tamẽ perurebat ipsa, vt ad motu solo manus, nisi extemplo retulisses, offenderetur. Pedes duplici calciamento, ita propter ascensus difficultatẽ comparato, tuebamur. Ab eo cratere, quẽ dixi, mons per funde iactum insurgit ascensu difficillimo, partim salebris impedientibus, partim tardatibus arenis, & cliuis statim etiã omnibus ex partibus impendebat. Is vnuersi corporis vertex summus est, et tanquã in vrbe arx domina, sic ille in montẽ prominatur. Ab eius insensu detinere nos potentissima vis ventorũ, & exhalantes fumi: itaq; tibi de illo referre quidẽ aliud nihil possum, nisi tibi ea vis recenseri quæ ab Vrba no monacho accepimus postea, Messanæ cum esset, homo ille quidẽ spectat. e fidei, atq; harũ rerũ cupietissimus sciscitator: is enim paucos ante nos dies per summã tranquillitatẽ totũ verticẽ perlustrauerat. B. P. Imò verò cupio: noui enim ego illũ, atq; amo, quod te nō latet: quare mihi futura sunt hæc omnia illius etiã testimonio gratiora. B. F. Aiebat ille igitur (quãdo ea tibi narrari postulas, quibus tamen ego tã accedo vt credã, quã omnino si aspexissem) verticẽ illũ esse ab ingenti cratere occupatũ ambitu circiter quatuor stadiorũ, eumq; nō vsq; in imũ descẽdere eodem hiatu, sed aliu sibi intus paulatim asstringere catenus, quoad in eius medio ad euocanda montis incrementa satis amplo ore foraminatur: tũ esse in summa montis corona paruũ tramitem, vbi pedes firmentur: ex eo si quis declinauerit, aut in craterem obrui, aut è monte deturbari: stitisse tamen sese ibi dum barbarum exploraret: eructasse tum montẽ magno strepitu

incendia caliginosa, & vrentes petras supra os, quantum sagitta quis mitteret, insurgentes: atq; cum, veluti corpus vicus, non perflasse semper, sed emissa semel anima cessasse diutule, dum respiraret: tum se copiant intuendi habuisse, quæ vellet: mox respirasse iterum atq; iterum pari interuallo vsque quæq; interea ingemere intus cavernas auditas, intremere etiam tonitruis montem sub pedibus magno & formidoloso ijs, qui aderant, horrore: ex quo illud mirum videtur, quod qui tum strepitus per tranquillitatem sentiebantur, eorum à nobis nihil auditum sit in tanta ferocia ventorum. B. P. Illud verò nec videatur fili, neq; planè ipsum est mirum: constat enim, quemadmodum scriptores tradidere, simul cum ventis Aetnae animam immutari: & quo flante, fumos tantum aut caligines exhalet, componente, modò puras, modò crassiores flammâs emittere, pro surgentium ventorum qualitate: aliquando etiâ effundi torrentes igniû varia exundatione, prout intra montis viscera pinguiâ vel exilia incrementa sunt, quæ cum ita se habeât, illud etiâ posse fieri, quis est qui neget, lenissima vnus venti aura eos strepitus intra montem excitari, qui vel furente altero non que antè nò enim quam perfleret quis, sed quam intret in montem, quamq; se in cavernas illius, inq; viscera insinuet, est spectandum. B. F. Intra montem igitur tu, tanquam intra pectus animam, sic accipi ab Aetna ventos putas, quibus illa modò spirat leniter, modò vehementius incitatur? B. P. Sanè quidè: nisi tamè veriora illa sunt quæ de Typhoeo, deq; Encelado Poetarum fabulosa diligentia concinnauit. B. F. Verissima illa quidem fabella est: sed perge tu, mihi atq; etiâ pater huius incendij causas redde, si placet: nam ex incolis quidem inuentus est nemo, qui ea nobis paulò verius explicaret.

caret. B. P. Pergã, vt libet: sed non prius id faciam, quam mihi dixeris, quomodo illud sit, quod tu verissimã fabellã dixisti. B. F. Quia sanè ea demũ verissimè fabula est, quæ nihil habet veritatis. B. P. Pulchrè nimirũ: atq; isto modo ego etiâ dicere historiam maxime falsam possum, vt ea sit demũ falsa quam maxime historia, quæ falsi habeat nihil. B. F. Non sequitur istud pater: sed nos dialecticè è captiosis sophistarum circulis coronisq; ne auocemus: satis enim habet illic negocij. Quare agè mi pater, explana potius illa nobis quæ petimus, ea incèdia vnde orientur, & orta quomodo perdurent. B. P. Tu verò postulas etiam sine dialecticis philosphari: quod quidè ipsum fieri quàm possit, vel alio tẽpore ex te ipso cognosces, vel cum voles, audies de me: nunc verò agè, philosophemur. Interea tamè paulisper hoc in cespite cõsidamus: neq; enim vllis adhuc Nonianis legibus cautũ est, ne quis temerè quoquo in cespite cõsidat: quemadmodũ olim Romanis, nte quoquo in gradu: & ego iam decambulando defessus sum. B. F. Tu verò quiesce vt libet, & quam diu libet: ego autè & stare adhuc possum libentius, & te ita melius auscultabo. B. P. Et quidem hoc etiâ licet: sed quoniam ita vis, vt quibus de ignibus ego te antea interrogaue-ram, de ijs tu me nunc audias differentè, breui expediã quæ sentio: neq; enim nimis multa sunt. Tellus quidem omnis, Bembe fili, sicuti nostra corpora, foraminibus canalibusq; distincta est, & tanquam venis internotata, siue quòd omnino coire non potest, quæ specie quidem multum sibiinct differat intra sese, siue quòd aut gignit ipsa semper ali- quid, aut interimit, & immutat: neque vnum idem omnis, atq; semper manet, siue vt alij tradidere, & quidem princeps in philosophia viri, qui a planè vixit ipsa, atq; à mundi

anima vitam trahens, ab eadem mundi anima extra intratq; perlustratur. Sed in omni tellure nusquam maiores fistulae, aut meatus ampliores sunt, quam ijs in locis, quae vel mari vicina sunt, vel à mari protenus alluuntur: nam cum excedit semper mare, consumitq; suoapte contactu suaq; natura omnia, tum autem si partem est nactum aliquam debiliorem, membraq; non adeò robusta telluris, credit illa multò facillimè, pergitq; in viscera ipsa quantum potest: itaq; cum in aliena regna sibi viam faciat, vètis etiam facit: ex quo fit, vt loca quaeq; maritima maximè tremotibus subiecta sint, parum mediterranea. Quòd si etiam in sulfuris venas venti furentes inciderint, tum incendia excitantur sanè non difficulter: quoniam & in sulfure concipiendi permagna ignis vis inest, & venti etià aliena succendunt vi sua. Hæc autem tu vt in Aetna accidant omnia, vide: quippe, vt modò tute dixisti, quae mare in radicibus habeat, quae sulfurea sit, quae cauernosa, seu quòd natura ita fuerit semper ipsa, seu quòd à mari aliquando perforata ventos admiserit aestuantes, per quos idonea flammæ materies incenderetur. Habes vnde incendia oriantur Aetnae tuae: habes nunc quomodo etiam orta perduerent: in quo quidè nolo ego te illud admirari, quod vulgus solet, magnum esse scilicet tantas flammæ, tam immensos ignes post hominum memoriam semper habuisse, quo aterentur: quid est enim magnum ipsi magistræ rerum omnium atq; artificis Naturæ? quid arduum, quid illa tandem non potest? Qui stellas, qui solem, qui cœli cõuexa, qui terras omnes ac maria, qui mundum deniq; ipsum, quo nihil est admirabilius, vel potius extra quem nihil est, quod admireris, sæpe sine admiratione intuemur, iisdè nobis esse Aetna miraculum potest? Caue sis tam imprudens fili, vt tu id

id putes: nam si naturã respicimus, nihil in Aetna est, quod mirum voces. Si rem consideramus ipsam, nonne tibi etiam mira videantur cum alia loca permulta, tum vel Aponi nostri fontes, calidæq; illæ purissimæ, quibus natura nõ tãtum vt calefacerent, dedit, quod erat tamè ab aquis alienum, sed multũ de iure quoq; rerum omnium concessit, multum de nostro, tum aliquid de decorum etiam, & suo, vt morbis scilicet mederentur, non modò sine vllò ægri dolore, qua de causa Græco verbo Aponus nomen inuenit, sed etiam cum voluptate? Itaq; qui curantur,

Non venas reserant (vt ait ille) nec vulnere vulnera sa-
Pocula nec tristi gramine mista bibunt: (nant,
Amissum lymphis reparant impunè vigorem,
Pacaturq; ægro luxuriante dolor:

Nam morbos quidem expellere, hominum planè est rerum vsus multarum rectè callentiũ, hoc autem, vel sine dolore id efficere, vel, quod multò est maximum, etiam cum voluptate, decorum mihi quidem videtur esse proprium, ipsiusq; principis omnium, & parentis Naturæ. Quòd si cum vno Aponi fonticulo & canali profunda illa cõparaueris, inundationesq; omnes Aetnae tuae, fortasse non verear, ne nostrer hic colliculus tuo illo mōte sit minor. Sed faciã, vt tibi pollicitus sum, & Aetnae incēdia quomodo alãtur, docebo. Quoniam igitur omnia (vt scis) humore atq; calore cõcipiuntur, cū & semper ardeat mons, & semper à mari perlustratur, habes iã duobus his verbis quod petis: ignis enim, qui detrahit semper aliquid atq; consumit, gignit etiam semper aliquid sibi quod consumat, suo ipsius calore humectantibus vndis tellurem, semperq; igni materiam sufficientibus, quo alatur: nam & bitumen maximè, quod sulfuri simillimũ est, fit

ex terra & limo exaudante tellure: tum & eiusdem ferè gene-
ris alumen, quod quia ex solo & terra conficitur, ita voca-
tur. B. F. Vnde autem saxa, & pumices pater, & cie-
ctamenta illa, quæ vomit? quid illa tandem sunt? an sulfur
tantum, bitumen, alumen omnia? B. P. Nequaquam fi-
li: sed tanta est vis ignium, præsertim inclusorum, & ventis
intus furentibus, ut non viscera imbecilla modò, sed planè
nerui etiam fortiores corripiantur telluris, & saxa ipsa du-
rissima liquefiant. B. F. At ea ipsa saxa non aliquando
defecisse, montemq; sibi nõ subsedisse, nõnne illud est mirum
pater? B. P. Neq; id filii quidem mirum: tellus enim sem-
per fecunda sui est, semperq; semet ipsa parturit: nisi tamè
malis tu cum Pythagora sentire, qui quidem apud Ouidiũ
ita præcipiens inducitur, ut audeat affirmare, Aetnea incen-
dia non esse vsquequaq; duratura. B. F. Ego verò quid
sentiam, non sat scio: quanquam equidem mallem Pythago-
ram, quam Empedoclem imitari: ille enim quæ naturæ con-
sentanea videbantur, credebatur, asserens mutari quidem om-
nia, nihil tamen omnino interire: hic dum curiosius na-
turæ causas perscrutatur, etiam seipsum imperscrutabilem
facit. B. P. Sed valere nos illos sinamus filii: & quoniam
nos tibi, Aetnæ incendia vnde fiant, diximus, id velim ego
scire item ex te, ipsa hæc quomodo fluant. Neque enim pu-
to huius ignarum rei, tanquam dormientem spectatorem,
sic te ex eo spectaculo rediisse. B. F. Im istud quidem
pater fieri sine villo negocio potest, vel vna Hesiodi compa-
ratione, qua ille in sua Theogonia fluxisse ait tellurem, v-
bi eam post fulminatam Typhoeum igne correptam deser-
bit, hoc ni fallor modo: ex quo sanè libet mihi suspicari et-
iam pastorem illum Ascræum aliquando Aetnam conscen-
disse,

disse, atque inde sibi sumpsisse, quod de vniuersa tellure scri-
ptum reliquit:

Vritur ipsa ingens tellus, æstuq; furente
Liquitur, albens quondam ceu lamina plumbi
Arte virum flammisq; caua fornace liquefcit,
Sca ferrum: quanquam hoc maternæ viscera rupis
In duras aluere vires, cum ferbuit olim
Vulcani domitum manibus, terraq; fatiscit.

Et quidè propterea illum ego plumbi & ferri exempla po-
suisse crediderim, ut alteri ea compararet quæ igne facilius
corripuntur & fluunt, ut sulfurea tellus omnis, & ea tel-
luris partes, quæ tenuiores sunt: alteri autem cum saxa om-
nia, tum ea quæ flammæ resistunt magis, & sunt suapte
natura duriora. B. P. Mihi hæc quidem certè non di-
splicent ipsa per se: atq; etiam delectauit me non nihil Poe-
te ingenium, qui tam aptè descripsit fluentem & arden-
tem tellurem: sed tamen tu filii nimium perparcè respondes
ad illa quæ peto: non modò enim hoc ita simpliciter cu-
pio, ea incendia quomodo fluant, scire abs te: sed etiam, v-
bi descenderint, quam faciem capiant: tum si perdurant ea-
dem semper, an aliquando immutantur, audire. B. F. Ge-
ram tibi morem pater, & ea quæ postulas, ut potero ex-
plicabo. Pleno iam partu ut maturior est omnis foetus, qui-
cunq; in Aetnæ matris vtero coalescit, nisi parientis expel-
litur & eieclatur quacunq; prius rimam inuenerit, aut viã
sibi parauerit vi sua: sepe tamè exit ex eo cratere què ipsi vi-
dimus, nunquam ex superiore, quòd vel eò inscendere gra-
uis materia non queat, vel, quia inferius alia spiramenta
sunt, nõ sit opus. Despumant igitur flammis vrgentibus ig-
netriui pigro fluxu totas delambentes plagas: ij paulatim

recedente calore priorem sibi naturam reposcentes, in lapidem indurescunt fragilem sanè flammis eruantibus, & si complectas, putrem. Stat ea confluuias, veluti glacies, cōcreta, vsquedum alteri descendant riuicij nanq; non suprà fluunt, sed inter montis arenosam cutem & priora concreta fluenta insinuantes sese, cursum sibi mediū quærūt: sic, quæ prius induruerant, quia friabilia sunt, vt dixi, nouis incendijs cedentiâ crepant, & in partes dissecta prosiliunt, quacumq; vnda deurgens interfluit: deinde conglaciantem eam altera subit illuuias, atq; ipsa tantundem facit: tum altera item, et altera: non enim continuato fluxu mons, sed per intermissos spiritus, vt suprà commemorauimus, cruetatur: atque ita nouissimis semper vincentibus, multiplicatoq; in immensum incendio, ex igneis fluminibus fracti lapides altissimo congestu magnam montis partem occuparunt: atq; ij, quo recentius fluxere, eo & nigriores sunt, & firmiores: ætate & pallefcunt, & resoluuntur: inde ego esse arenarum plagas omneis, quæ circa cacumen visuntur, existimo. Materies omnis aridissima est, atq; ideo minus multò, quàm viui lapides, ponderosa: scabra adeò, vt breui mora, tanquam à lima, conscendentium calcei exedantur. B. P. Atq; ego sanè in eo mallem Empedoclem imitari, qui ascensurus amyclis æreis utebatur. Sed sequere. B. F. Ea infra paruum craterem circumuersus totum montem complexa est, et cumulum eum, in quo maior crater est, sustinet: demittitur inde alicubi per interualla inum in montem obliquis fluxibus, quacq; Catina iacet, vsq; in mare, lata sepe, quæ visus patet, horrendū sanè spectaculum, modò alucis hiantibus, modò impendentibus ripis. Inter maxima profluvia longè memorabile illud est, quod paulò ante nostram ætatem vsq;

intra

intra Catinā decurrēs, non parua vrbis partē incendio depopulauit: neq; sanè descensus is minus, quàm per ducenta stadia cōfiscitur. Quinetiā portū eum, de quo ait Virgilius,

Portus ab accessu ventorum immotus & ingens

Ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
ita impleuere fluenta Aetna, vt iam errasse Virgiliū putes, quòd portū ibi esse ingentē dixerit, qui penè nullus sit. B. P. Istud nimirum est quod à principio dixeris, cedere illis volentibus, atque eorum contrahi ardoribus ipsum mare. B. F. Est ita quidem, vt dicis: sed vt ad propositum reuertamur, reptare per eas crepidines, quas dixi, duobus mil. p. ass. necesse est quemuis craterem visuros: reliquum iter in equis confiscitur. Reptationis eius labor haud facile credus, quàm durus est, quamq; indigens virentis genu: quippe, quia degraunte viatore temerè ingestu lapides concedunt, & in ascensu maxime arduo, ni probè posueris pedem, dimoto vno, tota congeries deuoluitur, & in te ipsam ruit: adde, quòd etiam si in plano cecideris, ledunt scabritie suæ: & manus crebro cōtactu, nisi contexeris, atteruntur. Magna hæc fortasse videntur pater audienti tibi: magna enim sunt, vt mihi quidem videri solent, verum nusquā adeò, ac nobis inspectantibus fuerūt: nam Aetna quanta est, nemo quidem scit, qui non videt. Ex summo vertice conueni plari totam insulam licet: termini eius longè esse multò minus videntur, quàm sunt. Brutia ora ita tibi sub oculis iacet, vt eò posse trajicere penè quidem iactu lapidis putes. Serena tempestate Neapolitani etiam tractus extimantur. Nivibus per hyemem ferè totus mons canet: cacumen neque per æstatem videtur. B. P. Quid, quòd hyemare tantum eas & Plinius & Strabo meminere? B. F. At experientia

E e e

ita te docet, vsusq; ipse autor, quod quidem venia illorum dixerim, longe certior. Quare illud mi pater, etiam atq; etiam vide, ne quid te moueat, si aliqua ex parte huius nostri de Aetna sermonis cum vetustis scriptoribus dissentimus: nihil enim impedit fuisse tum ea omnia, quae ipsi olim tradiderunt, quorum permanserint plurima in nostram diem: quaedam se immutauerint, aliqua etiam allata sint noua: nam, ut caetera omittam, quod cinerosa partim esse summa cacumina dixerunt, eius rei nunc vestigium nullum apparet: cinis enim qui queat conspici, toto monte nullus est: neq; id tamen omnibus annis fuit: nam multorum testimonio accepimus, qui viderunt, annis abhinc quadraginta tantos ex Aetna cineres euolasse, ut per totam eam insulae partem, quae ad Pelorum iacet, omnem oleam abstulerint: eos etiam in Italia ventis ferentibus latos. Sed ut ad niues illas redeamus, addebat idem Urbanus, Calendis Iunijs ascendente se, satis largiter abundeque nixisse: tum iterum, qui dies septimus fuerit post eum diem, dum ipse Randatij moraretur, eo die in vniuersam montanam plagam, niues ferè in pedis altitudinem descendisse: in quo ipso licet Pindarum suspicere, scitè cognomento vsu, qui Aetnam niuium nutricem appellarit. Quo latere subest Catana, media ferè inter ipsam et cacumen regione, purissimus et perennis fons erumpit Dorico vocabulo Crana ab incolis appellatus. Caeterum toto monte supra radices nullae aquae sunt, nisi quae vel ex niuib; emanant: cuius quidem rei etiam Theocritum testem habemus, in quo dum Galatæ Cyclops enumerat diuitias suas, hæc etiam interserit:

Est glacialis aquae riuus mihi, quem sylvosa
Nectarum in potum niuib; fluit Aetna solutis.

dit

aut si quæ intra fagorum truncos pluuijs descendentibus relinquantur. Atqui res et locus me monuerunt, ut quod ibi vidimus pulcherrimum naturæ opus et mirati fuimus maxime, non præterirem. Altissima in specula, qua sylua deficiente liberior prospectus in insulam et Tyrhenum mare est, herbidus campus leni decumbit cliuo: hunc pini proceræ pari distantes intervallo ducta corona circumsæpiunt: in medio fagus densissima quadrifido robore se attollens, celsior quam caeteræ, veluti regina ipsa consurgit: ea non statim discriminatur, sed à tellure per spatium cubitale vno trunco contenta est: inde se in ramos consimiles æqualibus intervalis dispartitur: internè vsq; ad imas radices arbor deficiens vndis pluuiialibus vrnæ ex sese facit: illæ montano purgantæ aere, ac vmbri sole arcentibus, et fontanis gelidiores sunt, et putealibus puriores. Ambigere ibi tu quidem pater, si quid eorum tibi laudandum esset, quidnam potissimum laudares, an prospectum eius loci, an locum, tum an arborem, an vndas: ita scitè in alteris decorandis, quasi quidem id ugerent, ut quid magis pulchrum esset, ambigeretur, et Hamadryas, et Nais conuenerunt: in honestandis verò alteris admirabile quidem est, quantum gratiæ venustatisq; sibi inuicem afferant Iupiter Genio, et Genius Ioni: quo fit, ut in vtrisq; multum Venus etiam permixta sentiatur. B. P. O pulchras naturæ delicias, vel etiam decorum, ut Pœtis placeat, si qui sunt, qui cum montem colant. B. F. Sunt pater, ut aiunt, atq; incolunt illo ipso quidem in loco. B. P. Mirabar, si hæc temerè dicerentur pronuntiare, præsertim à Siculis, quos quidem constat propter sermonis impunitatem et licentiam etiam trilingues vocatos. Sed quis inhabitat deus? B. F. Fauni esse fontem illum dicunt. B. P. Ed.

bellam te video inchoare: sed quoniam in Faunum incidimus, sequere: detineri enim me ab illo facile patior, cum quo te scio libenter etiam carminibus ludere interdum solere. Istud autem qui sciunt: an ita coniectantur? B. F. Videre se inquirunt pastores, ipsum deum passim errantē per sylvas & pascua, tum etiam sedentem sub illis arboribus coronatum pinu, & tacentem sepius, interdum tamen etiam fistula solantem amores. Sed continebo potius me hinc pater: læuia enim hæc sunt, & mihi loqui tecum, nisi reuerenter, non licet: quanquam si pergerem, faceres tu quidem hæc in re, quod facere etiam reges in cœnis solent, qui quidem inter apros & pauones, quibus abundant quotidie, interdum tamen & allium poscunt & betas. Neq; sanè animus noster vacare semper rebus seuerioribus potest: neque si vacet, tamen ex illis tam plenam capit voluptatem, quam si ea ipsa remitteret interdum, & mox nō longo interuallo intermissa reuocaret. Ita tu nūc grauius illa philosophiæ studia, quibus quidem certè id omne tempus soles, quod tibi per rempub. licet, impertire, melius etiam fabellis hisce leuioribus condienda remitteres. Et quidem licet maximè vel in Noniano fabulari. B. P. Sanè quidem licet, dum illud tamen semper teneatur, vt cerato remige Sirenas, quod aiunt. Et profectò Poeta ille sapientissimus nunquam Vlysi concessisset, quem prudentissimū semper facit, vt Sirenarum cantus audiret, nisi liceret etiam grauib; & sapientibus viris, quorum tamen in numero me non pono, minus serijs adesse interdum rebus, & lusus captare nō adeò seucros, modò ne remiges audiāt, hoc est, ne sensus pateant voluptatibus, quibus et demulcentur ipsi semper, & nisi ratione occlusi sint, sæpe etiam facillimè capiuntur, quod tibi esse faciendum in
vita

nita maximè semper censco Bembe filii: nam nisi te ita in formis, vt voluptatum illecebris animum imperuium geras, non possum dicere, quàm multæ tibi occurrent species earum, quæ te non adolescentem modò, vt es nunc, demulcere possunt & delinire, ac iam etiam debellare & deuincere, sed planè etiam virū. Itaq; illis aut magnanimitè imperandum est, quod fecerūt viri omnes magni, & boni, & ij, quos propterea deos etiam appellauerūt: vel omnino turpiter deseruiendum: in quo quidem tu si me audies, nō cōmittes, vt reiecta continentia atq; ipso amore virtutis, ex illorum sis grege, de quibus præclare Horatius:

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati,
Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoiç,
In cute curanda plus æquo operata iuuentus,
Quis pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessantum ducere curam.

Sed quoniam inclinata iam est dies, procedamus in atrium: nuge autem pastorales istæ tuæ, sub vmbriis sunt potius & inter arbores, quàm intra penates, recensendæ. Quæ cum dixisset, & iam in atrium peruenissentus, ego finem loquendi feci, ille cogitabundus in bibliothecam perrexit.

D E A E T N A D I A L O G I
F I N I S.

Ecc 3

PETRI BEMBI AD
HERCVLEM STROTIVM DE
VIRGILII CVLICE ET TE-
RENTII FABVLIS,
LIBER.



VM superiore anno Romæ ego et nostrer Qui-
 rinus effemus eo tempore, cum ille magno ho-
 minum concursu, magna admiratione ciuita-
 tis, quatuor millibus ac quingentis illis à se in
 Philosophia propositis sententijs, omnium omnis discipli-
 næ philosophorū impetus pene puer summa cum gloria su-
 stinuit, erant Stroti nobiscū sepe cum alijs docti viri, quibus
 semper floruit illa vrbs, non sanè pauci, tum vel in primis
 Phædrus Volaterranus, homo & ingenio & doctrina pro-
 pè singulari, & qui ea tempestate ferè omnium Romano-
 rum eloquentissimus habebatur, videbaturq; mirificè vel di-
 cendo vel scribendo veterem illam Romanam grauitatem
 simplicitatemq; redolere. Fuerat is quidem multò antea Her-
 molai Barbari vsus familiaritate, dum ille apud Innocentiū
 Pont. Max. à nostra Rpub. Romam missus, Legati munere
 fungeretur, posteaq; ab eo in sacerdotium adscitus, legatio-
 ne renunctata in Vrbe remansisset: ad quem (vt ipse aiebat)
 à Pomponio Læto, cuius erat ipse tunc sectator, sepiusimè
 deducebatur; magnam enim inter illos viros beneuolentiam
 confluerau at artium studiorumq; similitudo. Nam in literis
 quidem (vt scis) alteri eorum, Romani homines, alteri, no-
 stri primas partes deferebant. Et Pomponio quidem vel æ-
 tas ipsa (erat enim iam senior) vel quòd ei Romæ floruisse
 contigerat, habet enim ille quidem magnā apud omnes, sem-
 perq;

perq; habebit maiestatem ac venerationē locus, multum au-
 toritatis assereret. Hermolaus autè ad humaniores illas do-
 ct. in. is, & cultum literarum, in quibus excellere Pompo-
 nius existimabatur, cum Iuris ciuilibus scientiā, quam quidem
 ad. no. lum adolefcens fuerat consequutus, tum vel maximè
 philosophiæ studia, in qua semper multum operæ insume-
 bat, adiunxerat: easq; omnes artes Græcarū literarum lumi-
 nibus illustrabat, quarū esse peritissimus credebatur. Is itaq;
 Phædrus cum esset nobiscum, quod erat ferè quotidie (nihil
 est enim illo comius, nihil humanius) multa tunc à se puero
 de Hermolao audita, multa de suo magistro Pomponio me-
 moriter recensebat, præclara sanè ac digna tantis viris,
 quæq; nescias, vtrum à nobis auscultarentur, an ab illo reci-
 tarentur maiori cum voluptate. Nam pergratū nobis erat
 vel nostri hominis maximi ac doctissimi viri, quem tantum-
 modo vidimus, vel alieni, quem ne vidimus quidem, præser-
 tim Romani, & in Romana Academia longè principis, ser-
 mones disputationesq; recensentè audire: & ille, credo quia
 nobis sese facere rem gratissimam sentiebat, siue quia ita se
 magistro suo gratiam existimabat relaturum, ijs sermonibus
 libèrissimè detinebatur: quos quidem vniuersos erit fortasse
 nobis aliud tēpus memoria repetendi, cæterisq; perscriben-
 di. Tibi verò Stroti, nunc potissimū eum sermonem confici-
 mus, quem illi de poetis aliquot nostris habuerunt. Nam
 quid possum ego, qui poeticis studijs vehementer delector,
 tibi præsertim poetæ homini mittere aptius? Patiari verò à
 me hoc te nomine appellari. Quanquā enim è Musarū scho-
 lis, quæ te aluerūt, nescio quo fato, quasi transfuga, te repen-
 tē traduxeris ad forū, in quo summū longeq; amplissimū
 in tua vrbe magistratum adeptus ita versaris, nihil vt en-

quam omnino aliud egisse vidcare, quandiu tamen vel elegi vel hendecasyllabi tui extabunt, vel illa heroica venatio legatur: legatur autem, vt de Midæ regis sepulchro ait ille: dicam autem Latine, vt tu ea facilius possis, qui Græcorum linguam non multum calles, intelligere:

Dum fluct vnda, ferent altæ dum robora syluæ,

Solq; dabit mundo surgens & Cynthia lumen,

tandiu omnes homines te poetam appellēt, necesse est. Atq; illi quidem si viucret, qui hæc ipsa, quæ ad te mittimus pertractauerunt, inter seq; differuerunt, essetq; ab ijs eligendus aliquis, cui ea cognoscenda traderentur, ad te vnum illos arbitror maxime omnium esse venturos. Similia enim similibus comendanda sunt. Sed est mihi quidem tecum certe etiã alia causa, qua nulla potest esse laudabilior, amoris & benevolentie necessitudo: quæ quoniã tu iam pluribus tuis cum de me tum ad me honorificentissimè amicus sineq; scriptis carminibus, qualis esset vt omnes homines intelligerent, effecisti, cauendum mihi est, ne si nihil omnino ipse ad te scripsero, parum dignus videar, cui tu tantum non dicam iudicij tribueris, nam id quidem tuo, hoc est, Poetarum iure fecisti, sed amoris. Amo autem te mi Stroti, semperq; amabo, vel quia es amore omnium ipse dignissimus, vel quia me amas. In altero id doctrinæ ingenio, moribus illis tuis suauissimis debeo, in altero voluntati. Itaque hæc leges scio tanquam ab homine missa tibi coniunctissimo, libenter: tanquam verò à maximis atque doctissimis viris disputata, etiam cum voluptate. Aiebat enim ille idem Phædrus, nullo se vnquam spectaculo tam libenter detentum, quàm cum illos differentes audiebat, tam lenis, tam docta, tam elegans inerat in ore vtriusque semper oratio, quemadmodum accidit

accidit cum in eum sermonem incidissent, vt de Poetis loquerentur. Nam cum ad Hermolaum Pomponius, vt solebat, ex Quirinali ad Mineruæ venisset, essetq; ipse vnã cum Pomponio, atq; illum in hortis sedentem offendisset (erat autem meridiei ferè tempus) consedisse ibi tum cum illo: visq; hominis marmoreo trunco, qui ante illorum pedes humi temerè atq; indecorè iacebat, sine capite, sine pedibus, sine etiam manibus, pallio tantum leuo brachio inuoluto, ita cœpisse Pomponium dicebat. A me verò hæc nunc, tanquam illos differentes audias, explicabuntur: sic enim malo, quàm alio modo. Est autè res sic inter illos acta. P O M P O N I V S: Ista verò Hermolæ, quã hic habes obruncatam deturbat, amq; omnibus modis statuã, quis scit, an alicuius Fabiorum, Marcellorum, Salpitorum, Catonum, aut etiam Scipionũ illorum, hostium euerforumq; Carthaginis, fuerit effigies? Non enim scire te arbitror, cum neq; vultus eius inspiciatur, neq; nomen legatur, cuius fuerit. H E R M O L A V S: Rectè tu quidem arbitraris. Ego enim id Pomponi nihilo plus scio, quàm tu: nam, vt vides, nullæ omnino notæ, quibus simulacrum cognosci possit, remanserunt. Quare de eo nunc quidem arbitrato tuo existimes licet: reflectere te nemo poterit. Quod si cuiuspiam illorum non fuit quos dicis, certè fuit illa quidem effigies magni alicuius viri. Itaq; ille ob suum aliquod egregium in remp. factus se exculpi fecit, vt quoniã erat ipse moriturus, extaret quasi quoddam exemplum sui, in quod cum homines respexissent, aut inscriptionem legissent, bene de se loquerentur, apparetq; qualis fuisset seclis innumerabilibus. P O M P. Verisimile id quidem valde est. Quæ enim esse alia causa eius rei potest, q̄ gloriæ immortalitatisq; cupiditas? Nunc

autem quàm illum spes fecerit, vides: qui si se ipse contem-
plaretur, credo ingemisceret, rogaretq; te vt se restitueres:
quod quoniam effici non potest, est hoc quidem miserum,
sed tamen commune illi cum multis: ex tot enim tamq; cla-
ris viris, quorum ita crebræ imagines spectabantur, vt es-
se Romæ quasi alter populus lapideus videretur, ad no-
stram ætatem suis locis ferè statuae nullæ integræ perman-
serunt: auulsæ & amputatæ ita tamen, vt dignosci possit
quorum fuerint, omnino perpaucæ. Illud verò miserius, ca-
rere nos ijs atq; alijs multò illustrioribus multoq; magni-
ficentius vt diuturniora essent constructis monumentis an-
tiquorum, non tam quidem annorum iniuria, quàm etiam
negligentia Romanorum principum, qui illa, cum sustine-
ri aut restitui possent, neglexerunt. Itaq; nunc, vt iam sta-
tuas & signa prætermittam, tot sepulchrorum, tot thea-
trorum cadauera prostrata & diruta ante oculos iacent.
HERM. Est sanè istud quidem verum Pomponi, vt di-
cis: atque eò etiam se res deteriore habet conditione atq;
fatis, quòd non ea modò, quæ stare adhuc potuerant, negli-
guntur, sed illa ipsa etiam quæ stant, quæq; permanet, quo-
niam vetustate ipsa se confici passa non sunt, datur a no-
stris hominibus opera, enituntur, perficiunt aliquo deniq;
modo, vt nunc quidem permanserint ne an ceciderint, pa-
rum illorum interesse videatur. Nam Pantheum quidem i-
psum, quæ profectò ædes vna omnium maximè, quoniã ro-
tunda est, latè circumstrato foro patère vndiq; prospiciq;
debuerat, ita paulatim domibus tabernisq; ad templi parie-
tes exædificatis obsepierunt, vt ab Aquilone tantù nunc vix
ægrèq; conspiciatur. In Obelisco illo Vaticano autem dici
vix potest, quantum à Romanis hominibus offensum pec-
catumq;

catumq; sit: qui quasi inuiderent superesse aliquod nostris
temporibus opus, quod nulla ex parte annorum tempo-
risq; diuturnitas consumpsisset, ruinis aggestis ædiculisq;
constructis iam vt latèret, propemodum effecerunt. Sed hæc
tamè, quoniam tantummodo oculorum oblectamenta sunt,
ferenda sunt æquius. Quid illa verò Pomponi, quæ non ob-
lectamenta modò & delectamenta, sed leuatio etiã & me-
dicina, & quasi potus aliquis cibusq; animorum sunt, scri-
pta videlicet illa tot in omni quidem doctrinarum genere
antiquorum hominum, vel Græcorum vel nostrorum, ma-
ximè autem Poetarum, quæ perierunt, quomodo sunt fe-
renda? an non tibi longè maior iactura hæc, quàm illa la-
pidum & murorum videtur? POMPON. Mihi qui-
dem videtur: nisi fortè existimas, si Terentius & Horatius,
& noster Maro, Deo aliquo iubente ab inferis existerent,
malle me illorum frontem aspicere, quàm verba sermonesq;
audire. Sed tamen Hermolac, vtinam illa tantummodo pe-
riissent, quæ quidem iam (vt dicis) perierunt, quod est ta-
men ipsum per se acerbissimum. Nam propè vt signo-
rum, ita scriptorum non parum plura amissa, quàm reten-
ta sunt. Sed vtinam illa tantummodo periissent, ac non ij
etiam Poetæ nostri qui habentur, quiq; permanent, muti-
lata decurtatiq; haberentur. Quis enim iam eorum liber
(de antiquis loquor) mendis peruersionibusq; non scateat?
quæ plerunque quasi delumbant amputantq; non modò
carminum numeros, orationisq; structuram, sed etiam i-
psum sensum scribentis. Atque hoc quidem Hermolac ne-
mo te melius intelligit, cuius in Plinianis castigandis cor-
ruptis & deprauatis locis, magnum nostris hominibus la-
borem eripuit labor. Quòd si tui similes multos mortales

habuiffemus, nã nunc quidem valde potius hoc modo Catulliana illa in Pelei nuptijs carmina legerentur:

Sanctè puer, curis hominum qui gaudia mifces,
Quiq; regis Golgos, quiq; Idaliũ frõdo sum. Itemq; alibi:
Nunc ò cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium Acriosq; apertos,
Quæq; Ancona Gnidumq; harundinosam
Colis, quæq; Amathunta, quæq; Golgos:

quàm quo leguntur. Venus enim in Golgis Cypri loco celebratur, quemadmodum Pausanias in Arcadicis meminit: non autem in Colchis, vt habent codices. De eo est etiam apud Theocritum in Syracusanarum dialogo versus, in quo Golgon numero singulari positum legitur:

Quæ Golgon Regina colis Venus, Idaliumq;.

HERM. Imò enim si tui similes, Põponi, essent ij, qui docti haberi cupiunt, ita legerent istos ipsos, quos affers versus, quemadmodum tu quidem mones. Memini autem me in Lycophronis, opinor, Cassandra legere, Reginam Golgorũ Deam, pro Venere positam, quam quidem Golgi Cypri populi colerent. Sed quid illud est, quod Acrios apertos dixisti? An non habent omnes Vrios codices, si rectè memini, nõ Acrios? POMP. Habent Hermolae, teq; in eo tuus memorie sensus nihil fallit, sed, vt ego arbitror, deprauatè: quemadmodum ea, de quibus nunc quidem loquimur. Qui enim populi sunt Vrij, apud quos Venus culta fuerit, equidem nescio. Si verò legas Acrios, id verbi quam vim habeat, non erit difficillimũ interpretatu. Refert enim Tacitus Historiarum libro tertio, vetustissimi in Cypro delubri Veneris Paphiæ Acriam autorem fuisse, cuius Amathus filius Veneri Amathusiæ templum & ipse condiderit. Itaq; facile erit dice-

dicere, à phani nobilissimi cõditore Acria, Paphios etiã Acrios appellatos, quemadmodum ab Anatho Amathusios: siue ille Acriæ filius, siue Hercules, vt ait Stephanus, fuerit. Quare mihi quidem sic legendum videtur. Quod autem apertos poeta dixit, planè Paphijs cõuenit. Est enim Paphos ad mare aperto & aprico loco. HERM. Placet ista mihi tua loci huius lectio Catulliana Pomponi. Itaq; video te Catulli manibus sanctè apparetq; parentauisse, qui hos illic eos restitueris. Sed sequere: video enim te alia etiã meditari. POMP. Verè dicis tu quidem: Catullo autè ditemus etiam vberius. Nam illa quoq; iisdem in nuptijs carmina hoc ego modo legenda esse arbitror,

Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quæ nostrum genus & sedes defendere sueta. Itemq;:
Vnde pater diuum sancta cum coniuge natisq;
Aduenit cælo, te solum Phœbe relinquens,

Vnigenamq; simul cultricem montis Itoni Pallada,
non eo quo leguntur. Nam apud Itonum Thessaliæ urbem, quam quidem planè urbem ab Itono Bœoti filio dictam ferunt, siue tu illam Itona, siue etiam Itonem dixeris, his enim omnibus dicitur modis, Pallas templis positus celebratur Itonia dicta, cæq; templa fluius Cuarius paulò antè quam in Pencum influeret, alluebat. Verùm ijs ex locis Bœoti domum post Troianum bellum reuertentes, Coronæam Bœotiæ oppidum cum expugnauissent, Palladi & ipsi condiderunt in plano ante urbem templum: viq; inde omnia transtulisse viderentur, credo religione permoti, & ipsam urbem Itonum, & Itoniam Deam, tum autem fluius ibi qui erat, eum Cuarium à Thessalia sumptis denominationibus appellauerūt. Hunc Alcæus Coralium, Callima-

chus Curalium nominat, cuius hæc sunt in Balneis de Itonia Bœotorum Pallade carmina: quæ tibi eò etiam libentius referam, quòd est illa nuper nostræ Politianus interpretatus in Miscellaneis suis:

Vnam olim ò Puera Thebis Dea Pallas amabat
Nympham præcunctis, quas habuit comites,
Matrem Tirestæ: nunquamq; fuere scorsum.
Sed siue ad veterum mœnia Thespiadum,
Siue Cheroneam, seu tenderet illa Haliarton,
Vecta iugis visens Bœotiaë populos,
Siue Coroneam, quâ pulcher odoribus halat
Lucus, & ara ipsi Curalium ad fluuium,
Sæpe illam curru secum Dea vexit eodem.

Quamquam illud miror, hoc in loco bis Coroneam posuisse Politianum, & quidem plurali numero; neq; nomina disce- uisse, quasi nescierit Cheroneam etiam Bœotiaë fuisse oppi- dum Haliarto vicinũ. Nisi verò hæc fortasse nomina libra- riorum incuria confusa sunt, non illius: quod mihi quidem magis fit verisimile. Verum ad nostra redeamus. Duæ igitur Itoniaë Pallades fuerunt: prior Thesalica, Bœotia poste- rior. Montis autem incolam Poeta cum dicit, potest id qui- dem aptè de Bœotia intelligi, propterea quòd in colle fuisse Coroneam sitam, locorum scriptores tradiderunt. Sed est de hæc etiam Papinij in Thebaide versus:

Hinc annue, sacro

Seu Pandionio nostras inuisere cædes
Monte venis, siue Aonia diuerti Itone.

Nam Bœotia, quæ nũc est, ea prius Aonia dicebatur. Itemq;

Ducit Itonæos & Alalcomenæa Minervæ Agmina.
Neque verò existimo Hermolæ, parum differens videri ti-
bi,

bi, Itoni ne, an (vt codices habêt) Ithymi vel Ithomi legatur, cum vna peruersè addita literula, difficile dictu sit, quanto sæpe sensus perturbabit: quemadmodũ in illis de Amadi arte libris apud Ouidiũ, si ita hos versus recitaueris, vt dicas,

Porrige & ancilla, quæ pœnas luce pependit

Lusa maritali Gallica veste manus.

quod quidem habêt omnes mehercule codices, vt intelligo, non modò verum sensum, sed ne verisimilem quidem vlt- lum vnquam elicies Poetæ. Quòd si ita dixeris, Porrige & ancilla, quæ pœnas luce pependit, & quæ sequũtur, structu- ra tibi omnis, & quasi verborum contignatio statim pate- bit: ex quo etiam ipsa historia pateat, necesse est. Erat autem ancillarum dies festus Nonæ Iuliæ, quo die Poeta donari an- cillas ab amantibus dominarum præcipit: quas etiam Nonas Caprotinas appellauerunt, quoniam eo die ancillæ sub matronarum habitu Gallis hostibus deditæ ijs, qui ea tem- pestate Romam Atepomaro duce obsidebant, de capristi- co signo dato rempublicam bene gesserunt: quam historiam ab Aristide Milestio rerum Italicarum scriptore, ait se Plu- tarchus accepisse illo in libro, quem is de Græcorum Ro- manorumq; comparationibus inscripsit. Nam quòd illos di- cit Fidenates fuisse in libris Saturnaliorum Macrobius, con- uenire huic loco iũ non potest, vt mihi quidẽ videtur. Quid autem, nonne vnius etiam interiectio literæ facit, vt qua de causa Horatius Apollinem Agyeum dixerit, nesciatur eo- versu,

Dania defende decus Camoenæ Leuis Agyeus

Agycum enim habent codices, nõ Agyeum: quod quidem nomen quale sit, illi ipsi viderint, qui sic legunt. Sunt au- tem (vt nosti) apud Græcos Agyei Dorico vocabulo in con-

formam desinentes columnæ, quas ante fores ædium erigebant, Apollini sacræ, vel vt quidam dicunt, Baccho, vt verò alij, etiam vtrifq;. Sunt et Attico item ante ædium fores aræ Apollinis, quam rem Sophocles tetigit illis versibus:

Ignibus odoris aræ Agyæ nitent

Suffitu halantes myrrhæ lachrymas barbaro.

Itaq; Apollinem cum Thyræum, tum etiam Agyæum vocauerunt. Sed hæc tamen peruerfiones Hermolæ ferri quidem minus moleste poterant, modò non etiam Maronem nostrum inuasissent, cuiuscmodiq; infectionibus et tanquam maculis Cygnum illum Mincianum aspersissent nostrorum longè principem: dicerem omnium, sed nolo tua nobis Græciæ succenseat, qua cum mihi perpetuum esset bellum gerendum, si hoc dixissem. Nam qui sic legunt illos versus,

Nunc scio quid sit Amor, duris in cotibus illum

Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes

Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edunt,
haud rectè legunt. Non enim est mons Ismarus inhospitalis, vt Rhodope, sed cultus: quem vitibus conserebant, neutro sæpius dictum nomine, et plurali numero. Erat autem etiã vrbs, quæ quidem alio nomine Maronæ appellabatur: vt illud quod ait, Duris in cotibus, neq; de oppido, neque de monte vitifero possit dici. Est igitur sic legendum:

Aut Tmarus, aut Rhodope.

Tmarus autem, qui etiam Tomarus dicitur, mons est Dodonis asperissimus atq; incultissimus, non minus quam Rhodope Thraciæ. Tota verò etiam Epirus, in qua Dodone est, inculta et ferox semper est habita. Itaq; Poeta cum dixisset, Duris in cotibus illum. Aut Tmarus aut Rhodope: quoniam satis iam sibi videbatur Amoris scuitiam duorum mon-

montium asperitate probauisse, probat denuò à loci longinquitate, infertq;. Aut extremi Garamantes, et quæ sequuntur. Quæquam etiam enumeratio ipsa duorum montium diuersis in regionibus positorum, elucere mihi quidem magis videtur atq; splendescere, quàm si de positis vnà in Thracia dixisset. Versus quoq; et cultior est, et sanè hilarior, in quo ter segregantis illa vox AVT, dicitur. Sed næ ego imprudens, qui hæc tecum, cuius tu generis omnia multò melius dispicis, quàm ego. Et fortasse tibi ocium à tua philosophia non est, quod his impendas. HERM. Mihi verò est; atq; haud scio an etiam sit hoc ipsum philosophari. Quid est enim magis philosophi, quàm perscrutari veritatem? Quacumq; in re autem, qua de agatur, quid sit verissimum, scire; mea quidem sententia pulcherrimum semper fuit. Itaq; ille grauisissimus philosophandi autor et magister Plato, dum in eo libro, in quo de recta nominum ratione disputat, istud ipsum perquirat, Homericæ illa non modò Agamemnonis, Orestis, Astyanactis, Hæctoris, sed etiam Xanthi et Scamandri nomina ambitiosè minutissimeq; interpretatur. Quare non est cur me pœniteat, cum de peruersis Poetarum sensibus locisq; differatur; ista etiam audire, de te præfertim, cuius ex ore nihil non melle dulcius fluere, nihil excidere non decorum potest. Sequere igitur, ac Maronem nostrum, si quid ex illo aliud, quemadmodum ex hac hominis figura multa; tempus vetustasq; consumpsit, perge restituere quantum potes. Nam de Tmaro mihi quidem perplacent quæ dixisti. Sed velim scire ex te, vnde tibi illud suboluerit. An tu fortasse antiquum aliquem legisi librum Virgilianum, in quo ita sit scriptum? POMP. Legi sanè, ac perantiquum quidem, apud meq; habeo, vt si tu mihi parum

adhibeas fidem, ille te possit cogere, cum inspexeris, ut mihi prorsus assentiare. Qui quidem quanquam liber ipse quoque truncus mutilatusque sit, quippe cui praeter iuuenilis ludi libellum, et illos Bucolicorum sermones decem, et Georgicorum primi libri partem, nihil omnino superest: habet tamen non paucos recte scriptos locos quibus delectere: quos tibi, ut postulas, explicabo (mandavi enim memoriae) non oratione illa quidem dulci ac decora, quam dicis, in quo summus erga me amor tuus te mehercule decipit, sed plane vera. Non tamen prius id faciam, quam tu etiam te receperis explanaturum mihi eos locos, quos (ut intelligo) habes permultos in Terentij tui fabulis longè, ac passim habeantur. secus.

HERM. Faciam ut iubes, Pomponi: cogis enim iam tu me, qui mihi audiendi tui conditionem istam imponis. Itaque amoebeum (ut video) conficiemus. Sed quid illud libri est, quem tu iuuenilem ludum appellas? ego enim me istoc nomine Virgilij librum legere nunquam memini. Nisi tu forte eum librum dicis, quem is de Culice perscripsit: constat enim ipsum admodum iuuenem illa carmina conscripsisse.

POMP. Pars illa quidem sunt portioque eius libri, quem dico. Nam ut Homeri (quemadmodum accepimus) non Batrachomyomachia solum opus ludicrum et iuuenile est, sed alia quoque permulta, Phocais, Cercopes, Epicicledes, Margitis, Amphiaraus, Caminus, pusillaque; altera Ilias, quam sic incoepit:

Dardanium Troiamque cano, quam plurima circum

Percepsi Danai duro gens aspera bello:

ita Maronis nostri, praeter Culicem, hi etiam sunt ludentis adolescentiae quasi partus, Dirae, Copae, Est non est, Vir bonus, Moretum, Rosae: quae omnia librum hunc conficiunt iuueni-

lis lu-

lis ludi, quem dico. Ea est enim eius libri inscriptio, quo magis assentior ijs, qui Priapeorum librum esse Virgilij non putant. Quid est enim magis ludicrum, quam illa carmina: in eo tamen septo et quasi caeca Virgilij ludorum illa non sunt, quanquam quidem huius etiam semper rei maximum mihi videri argumentum solet Virgiliana verecundia. Itaque magis audiendi sunt ij, qui omnino a compluribus vno tempore Poetis inter seque familiaribus ioci gratia compositos fuisse illos versus existimant: quorum quidem cum Nasoni magnam partem tribuant, quia is Virgilio familiaris non fuit, negant Virgilij esse vllum in eo libro versum: qua in sententia me Bernardi Bembi vestri hominis mihi amicissimi etiam autoritas confirmavit, dum is non multis ante te annis hac in urbe pro vestra re publica esset Legatus. Nam cum in hunc fere sermonem incidissemus, diceretque, nihil esse eius libri autoribus incertius, nihil obscurius, vnius epigrammatis testimonium attulit, quod quidem me iuvene non habebatur: affirmavitque sese illud primum omnium inuenisse vir grauisissimus in Patuino quodam sacello lapide extra urbem tertio, si recte memoria tenco, in antiquo marmore incisum, obrutumque ruderibus abiecto loco. Idque fuisse postea temere Priapeorum carminibus pro Virgiliano ab impressoribus cupidis illis quidem fortasse viris ditandi, augendi que rem literaria copia numeroque librorum, sed plane cum indoctis, tum etiam indiligentibus: nam peruerse transtulerunt. Quod si ea quoque Hermolae, quae nostra aetate inuenta sunt, quaeque habemus ipsae ante oculos, deprauari nobis sentientibus peruerti que videmus, non est iam profecto mirum, si quae in lucem multis ante nos seculis prodierunt, ea confusa sunt illusionibus intolerabilibus. HERM. Nihil omnino id quidem Pomponi mirum.

Sed velim versus illos recenseas, quos dicis: nam & ipse Bernardum Bembum amo, & ille me. Eius autem Petrus Bembus filius, mihi etiam secundum patrem plurimum tribuit. Sed Bembus quidem pater dum crebris ac prope continuatis legationibus fungitur, à patria absuit permultos annos: cuius filius ex quo ingredi cœpit, ferè semper cum illo fuit. Ego autem non multum sanè temporis domi vel in ocio vel in negotio consumpsi: itaq; effectum est vt benevolentia nostra fructum præsentibus adhuc ferè nullum perciperemus: vnà enim non multum saepe fuimus: absentes & illi me omni officiorum genere, & ego illos sum prosequutus. Quamobrem nihil miror te ab homine mihi coniunctissimo ea accepisse, quæ ego nunquam acceperim: neq; enim antehac quicquam horum audiui, quæ dicis. Fac igitur nunc de te illos versus audiam, quos memoras, si tibi videtur. P O M P. Tu verò audi, sunt enim hi:

Aerarij quondam custos, nunc cultor agelli,
Hæc tibi perspectus templa Priape dico.
Pro quibus officicis, si fas est, Sancte paciscor,
Adsiduus custos ruris vt esse velis:
Improbis vt si quis nostrum violarit agellum,
Hunc tu, sed tento: scis puto, quod sequitur.

Quo quidem in epigramate, officicis, pro eo quod nos officicis dicimus, Nigidiana illa regula, de qua meminit Gellius, antiquè est in ipso marmore inscripta. Sed hæc aliàs. Nunc vt ad Poetæ locos veniam, sunt in Rosis hi versus:

Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
Ad primi radios interitura die.

quos cum legerent maiores nostri, & Die pro eo casu nominis, qui est vltimus, accepissent, omnia confuderunt, scripseruntq;

pscruntq;, quod quidem multis in libris legi,
Ad prima radios interitura die.

Est autè Die secundus casus antiquè dictus: vt idem in Georgicis, Libra die somniq; pares vbi fecerit horas. & in Aeneide: Munera Letitiamq; die. Quamq; in altero dicat Gellius scripsisse Virgilium Dies, in altero autem Dij, vt vterq; secundus casus sit perueteri regula, quam postea vsus abrogauit. Præterea sunt in Copa hæc carmina:

Eia, agè, pampinea fessus requiesce sub umbra,
Et grauidum roscio nocte caput strophio,
Candida formosæ decerpens ora puellæ.
Ah percant, cui sunt prisca supercilia.
Quid cineri ingrato seruas benevolentia ferta?
An ne coronato vis lapide ista tegi?
Pone merum & talos, pereat qui crastina curat:
Mors aurem vellens, viuite, ait, venio.

Quibus autem in verbis reliqui peccent libri, ne singula persequar, per te ipse licebit sumptis exemplaribus perspicias. Itaq; ad tuos te reijciam libros, eos tu videbis, cum uoles. Sed quod hic Poeta vellere aurem dixit, postea in Eucolorum transtulit libros,

— Cynthius aurem

Vellit & admonuit pastorem, Tityre pingues
Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.
Sunt in Viro bono hæc:

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit vnum
Millibus è cunctis hominum consultus Apollo,
Iudex ipse sui, totum se explorat ad vnguem:
Quid proceres, vaniq; ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atq; rotundus,

Externæ ne quid labis per leuia fidat.

Cui perquam simile est illud Horatianum, vt iam non modo sensum ordinemq; sententiæ, sed ipsa etiam Virgilij verba videatur Horatius transtulisse in sermones suos:

Fortis, & in seipso totus teres atq; rotundus,
Externi ne quid valeat per leue morari.

Sunt in Diris hæc:

Flectite currentes lymphas vaga flumina retrò,
Flectite, & aduersis rursus diffundite campis:
Incurrant amnes passim remcantibus vndis,
Nec nostros seruire sinant erroribus agros.

Sunt præterea hæc:

Dulcius hoc memini reuocasti Battare carmen,
Emanent subito sicca tellure paludes,
Et metat hic iuncos, spicas vbi legimus olim.

Quo in loco quia reliqui omnes libri ita habent scriptum hunc versum, vt de reliquis taceam, Et metat hic miles spicas vbi legimus olim, vidēs ne Hermolæ, quã leui sæpe de causâ pulcherrimi Poetarũ sensus deturpentur? HERM. Quonã his inquis modo? POMP. Vt videlicet, quoniã erat in veteribus exemplaribus (quẽadmodũ mihi videre videtur) ita hæc lexis MILES adscripta, vt esset extra versum tanq̃ interpretatio illius pronominis HIC, ne pro aduerbio recipe retur, non doctorũ librariorũ aliquis, quorũ mehercule magna quidem copia semper fuit, mendũ ratus versum ipsum peruerterit eo quo tibi dixi modo: qui quidem passim error in eos, qui habentur, postea codices emanarit. An nõ tibi ita videtur? HERM. Mihi quidẽ Pomponi videtur: ac mirum dictu est, quã multis in locis deprehenderim ea, quæ necesse est in librorũ marginib. alicuius rei causa veluti notas à perle-

à perlegentib. fuisse cõscripta, intra legitimũ postea ordinẽ, & quasi certũ orationis atriu, recepta ab his qui descripserunt, deinceps nõ suo in loco diutius q̃ opus erat, permãsisse. Itaq; perge ad reliqua. POMP. Ego verò pergã, eoq; libentius, quo me video vnus etiam amisi versus instauratione, eius libelli mœrorẽ consolaturũ. Nam vbi illa sunt carmina:

Dulcia amara prius fient, & mollia dura,
Candida nigra oculi cernent, & dextera læua,
Migrabunt casus aliena in corpora rerum,
Quã tua de nostris emigret cura medullis.
Quamuis ignis eris, quamuis aqua, semper amabo:
Gaudia semper enim tua me meminisse iuuabit.

Ille versus, Quamuis ignis eris, quamuis aqua, in libris reliquis nõ habetur. Sed hæc leuia. Illa aliquãto grauiora, quæ Culicẽ penẽ totum infecerunt. Nam (vt quidem se habent ij, qui leguntur) ita sunt libri pleni mendis, vt iam ne legantur quidem. HERM. Animaduerti equidẽ Pomponi, cum adulescens haberẽ illum librũ in manibus, permultos esse versus in quibus hærerem, ianquã in salebris: offendebat enim non tam mehercule vel difficultate sensuũ, vel historiariũ obscuritate, quarum mihi neutra eiusmodi propẽ esse videbatur, vt percipi non posset, si quid latèret, quã certè illis ipsis aut peruerse scriptis, aut planè etiã deficientibus exemplarium locis. Itaq; mihi gratissimũ feceris, si non eo modo, quo ista nunc à te dicta sunt, etiã Culicẽ ipsum explicabis: tetigisti enim tantũmodo carptim membratimq; quosdã locos: quod abs te tamẽ ideo factũ existimo, quia eorũ opusculorũ minus multæ peruersiones deprehenduntur: sed si mihi ordine totam carminũ seriẽ sylvamq; recensebis. Nam nec valde multa sunt: & sumus, vt vides, ociosi: modò tu illa memoria te-

neas. P O M P. Ego verò nunc quidem teneam ne memoria cum librum, an non, haud satis scio: tenere alias certè me memini. Recensebo autè ordine, si potero, singula vt postulas Hermolae: video enim eo te nunc studio libenter teneri, quo ego saepe detineor, vt Maronianū versum aliquem iacere ne sinamus: qui quidem legentem facillè sequuntur singuli, modò ne tanquam ferreis manicis, sic indoctorum hominum erratis implicentur. Itaq; cum illo sic incipiam:

Lusinus Octaui, gracili modulante Thalia,
Atq; vt araneoli, tenuem formauimus orsum:
Lusinus, hæc propter Culicis sint carmina dicta,
Cuius & historie per ludum consonet ordo,
Notitiæq; ducum voces, licet inuidus adsit,
Quisquis crit, culpæ iocos Musamq; paratus,
Pondere vel culicis leuior fama; feretur.
Posteriori grauiore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus,
Vt tibi digna tuo poliantur carmina sensu.

Quid autem ò Hermolae, nonne tibi satis aptè videtur Virgilius his versibus & proposuisse Augusto, quid sit scripturus, et causas cur ita scribat, attulisse? Nam quòd ait, Culicis carmina, & historie ordinè, et notitiæ ducum voces, totum opus complexus est. Quòd autè & Thaliã gracilem, & araneoli orsum dicit, duas afferre ille mihi videtur rationes, cur luserit: quia enim erat ipse adolescens, suas in poetici studij vires graciles dicit. Quòd verò tunc primùm Augustū alloquebatur, suã hanc inceptionè quasi araneoli orsum appellat scitè mehercule, nisi me amor iallit: nam et texere poetæ dicuntur, cum scribunt, quod araneorū est, et à materia nõ discedit, quæ de se scripturū pollicetur. Itaq; ait, PROPTER

HÆC

HÆC, hoc est, & quia Thalia nostra gracilis est, & quia nunc primū ad te scribimus, carmina Culicis & quæ sequuntur, sunt illa quidem per ludum dicta hoc tempore: nam

Posteriori grauiore sono tibi Musa loquetur Nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus, Vt tibi digna tuo poliantur carmina sensu. An tibi hæc probantur, quæ dico? H E R M. Mihi quidem probantur. Quin etiam propterea illum existimo Thaliã potius, quàm aut Calliopem aut Melpomenem aut Polyinniam, aut aliud omnino Musæ nomen posuisse, vt latenter suam non adultã iam confirmatiuè poetices facultatem, sed planè surgentem crescentemq; innueret: surgere enim et crescere et pullulare, vt scis, eo Græci verbo dicunt: à quo est quidem Thaliæ inditum vni ex nouem Musis nomen. P O M P. Rectè quidem existimas Hermolae: quid enim tu nõ rectè? Itaq; perge me adiuuare isto modo sæpius: sic enim melius id, quod volumus, assequemur. Ea verò quæ sequuntur, hæc sunt:

Latonæ magniq; decus Iouis aurea proles
Phœbus crit nostri princeps & carminis autor,
Et recinente lyra fatur, siue educat illum
Alma Chimæo Xanthus persusa liquore,
Seu nemus Aestriæ, seu qua Parnassia rupes
Hinc atq; hinc patula præpandit cornua fronte,
Castaliæq; sonans liquido pede labitur vnda.

Erat autè Xanthus (vt scis) Lyciæ ciuitas apud Chimæam conuallè in Xanthi fluminis eiusdem nominis ripa, Pataræ vrbi perquã vicina: quæ in vrbe Apollo colubatur. Nomen verò pro nomine hoc in loco Virgilius cõsuetissimè Poetarum licentiã posuit. Itaq; Apollinem inuocat tribus ex celeberrimis locis, Patara, Delo, Parnaso. Te verò iterum ad

monitū volo Hermolac, vt ad tuos te referas libros, si, quot in locis nostræ hæc à cōmunibus exemplaribus recesserint, volueris inspiciere:

Quare Pierij laticis decus ite sorores
Naiades, & celebrate Deam plaudente chorea.
Et tibi sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis
Aerios nemorum tractus sylvasq; virentis:
Te cultrice vagus saltus seror inter & astra.

Hic Palē qua de causa Poeta inuocet, nō est iam querendū, agrorū videlicet et saltū et nemorū et pecorū & pastorum Deam: est enim eadem et Vesta, quam ipsam esse terrā crediderūt. Quamobrē qui Tibullianos illos versus ita legunt, Vos celebrem cantate Deam, pecoriq; vocate Voce Palē, eo errore lapsos puto, quod planē nō mehercule Cupido agrorum Deus dicitur, sed Pales, qui quidem tamen versus (quemadmodum te scire arbitror) ita sunt ipsi legendi:

Vos celebrem cantate Deum pecoriq; vocate,
Voce palām pecori, clām sibi quisq; vocet,
Aut etiam sibi quisq; Palam: nam turba iocosa
Ostrepit, & Phrygio tibia curua sono.

Nam quoniā dixerat Poeta Cupidinē in agris natum, inuocari etiā illum ab agricolis tanq̄ eorū Deū præcipit: de agre sibus enim loquebatur dijs. Palām autē dicit & clām, sumpta (vt mihi quidē videtur) ea figura dicēdi ab Homero, vbi ille sub Aiacis nomine cum Hectore decertaturi hæc dicit:

Martia quā ego dum interea circum induor arma,
Vos orate Iouem taciti, ne sentiat hostis,
Adiuuet vt nostri Saturnius orsa laboris.
Sine orate palām potius, neq; enim horreo quenquam.

Sed

Sed nos ad Maronem nostrum reuertamur, qui quidem sic continuat Culicem suum:

At tu, cui meritis oritur fiducia chartis
Octavi venerande meis adlabere cœptis,
Sancte puer: tibi nanq; canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus:
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses.
Vrit Erichthonias oriens non ignibus arces,
Non perfoffsus Athos, nec magno vincula ponto
Iacta, meo quærent iam sera volumine famam.
Non Hellepontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia cum timuit venientis vndiq; Persas,
Mollia sed tenui pede currere carmina versu
Viribus apta suis Phœbo duce ludere gaudet.

Ecce autem, dum se dicit currere carmina molli pede Virgilius, nōne tibi etiā currere ipsemet versus videtur, & quidem molliter? Nam cum est ex dactylis totus confectus, quibus nihil potest esse in heroico celerius, tum habet permultas syllabas, in quibus nihil inest asperum, nihil durum. Itaque hæc figura dicendi quia est in Aeneide vsus pluribus locis, cum & Procumbit humi bos, dixerit: & Ruit oceano nox: et, Conuulsum remis nostrisq; tridentibus æquor: quos quidem planē versus ruere, procumbere, conuelli, non minus videri voluit, quam illas ipsas res, de quibus loquebatur: negari eam nō potest iam ab ipso culice tanto antea fuisse illum auspicatum. Sed pergamus ad reliqua:

Et tu sancte Puer venerabilis, & tibi ceriet
Gloria perpetuum lucis mansura per æuum:
Et tibi sede pia maneat locus: & tibi sospes
Debita felicis memoretur vita per annos

Grata bonis lucens. Sed nos ad coepta feramur.
 Igneus aetherae iam sol penetrarat in arces,
 Candidaq; aurato qualiebat lumina curru,
 Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat,
 Propulit è stabulis ad pabula leta capellas
 Pastor, et excelsi montis iuga summa petiuit,
 Lurida quà patulos velabant gramina colles.
 Iam syluis dumisq; vaga, iam vallibus abdunt
 Corpora, iamq; omni celeres è parte vagantes
 Scrupea desertæ perrepunt ad caua rupis.
 Tondentur tenero viridantia gramina morsu,
 Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,
 Densaq; virgultis avidè labrusca petuntur.
 Hæc suspensa rapit carpente cacumina morsu,
 Vel salicis lentæ, vel quæ noua nascitur alnus:
 Hæc teneras fruticum sentes rimatur: at illa
 Imminet in riuui præstantis imaginis vnam.
 O bona pastoris, si quis non pauperis vsum
 Mente prius docta fastidiat, et probet illis
 Omnia (luxuriæ pretijs) incognita curis,
 Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes,
 Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
 Attalicens opibus data vellera: si nitor auri
 Sub laqueare domus animum non tangit auarum,
 Picturæq; decus, lapidum nec fulgor in vlla
 Cognitus vtilitate manet, nec pocula gratum
 Alconis referent Boetiæq; toreuma, nec Indi
 Conchæa bacca maris pretio est: at pectore puro
 Sæpe super tenero prosternit gramine corpus,
 Florida cum tellus gemmantis picta per herbas

Vere notat dulci distincta coloribus arua:
 Atq; illum calamo letum recimente palustri,
 Ociq; inuidia degentem ac fraude remota,
 Pollentemq; sibi viridi cum palmitè lucens
 Vitea pampineo subter coma velat amictu.
 Illi sunt gratæ rorantes lacte capellæ,
 Et nemus et fecunda Pales, et vallibus imis
 Semper opaca nouis manantia fontibus antra.
 Quis magis optato queat esse beator æuo,
 Quàm qui mente procul pura sensuq; probando,
 Non auidas agnouit opes, non tristia bella,
 Nec sineæta timet validæ certamina classis?
 Non, spolijs dum sancta deum fulgentibus ornet
 Tempia, vel euectus finem transcendat habendi,
 Aduersum seuis vltro caput hostibus offert.
 Illi falce Deus colitur non arte politus:
 Ille colit lucos, illi Panchaica thura
 Floribus agrestis herbæ variantibus adsunt.
 Illi dulcis adest requies, et pura voluptas
 Libera simplicibus curis: huc imminet, omnis
 Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
 Quolibet vt requie victu contentus abundet,
 Iucundoq; loacet languentia corpora somno.
 O pecudes, ô Panes, et ô gratissima tempe
 Fontis Hamadryadum, quarum non diuitem cultus
 Acmulus Ascreo pastor sibi quisq; poetæ
 Securam placido traducit pectore vitam.
 Hæc verò pastoralis vitæ laudatione Virgilius, quam vi-
 des, quamq; à Lucretio sumpsisse illum ferè mihi persua-
 deo, in Georgicis quidem posita cultius, sed eadem tamen

omnino pertractavit via: ut videri possit, cum in opere illo quidē omnium probatissimo emendatissimoq; translata multa de hoc ipso reliquerit, fuisse in hoc etiam sibi quæ probarentur, iniuriamq; nobis fecisse tempora quæ iterum ipsum Cullicem quasi contriuere. Sed hæc aliàs, nunc quæ sequuntur:

Talibus in studijs baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, & dum non arte canora
Compacta solidum modulatur harundine carmen,
Tendit in euectos radios Hyperionis ardor,
Lucidaq; ætherio ponit discrimina mundo,
Quæ iacit oceanum flammis in utrunq; rapaces.
Et iam compellente vagæ pastore capellæ
Ima susurrantis repetebant ad vada lymphæ,
Quæ subter viridem residebant cerula muscum.
Iam medias operum partes euectus erat Sol,
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras,
Ut procul aspexit luco residere virenti
Delia diua tuo, quo quondam victa furore
Veniit Nyctileum fugiens Cadmeis Ague
Insandas scelerata manus è cæde cruenta:
Quæ gelidis bacchata iugis requieuit in antro
Posterior poenam nati se morte futuram.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri, Dryadesq; choros egere puellæ
Naiadum coetu: tantum non Orpheus Hebrant
Restantem tenuit ripis sylvasq; canendo,
Quantum te Peneu remorantem dia chorea,
Multa tibi leto fundentes gaudia vultu:
Ipsa loci natura domum resonante susurro
Quis dabat, & dulci fessas resouebat in umbra.

Nare

Nam primum prona surgebant valle patentes
Aeriæ platanus: inter quas impia lotos,
Impia, quæ socios Ithaci moerentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At quibus insigni curru proiectus equorum
Ambustos Phaeton luctu mutauerat artus,
Heliades tencreis amplexæ brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterior cui Demophoon æterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala perfida multis.
Versus verò, qui hos in omnibus exemplaribus sequitur,
Perfide Demophoon & nunc defende puellam,
in meo vetustissimo non habetur. Itaq; quemadmodum Aquilas, cum experiri volunt pullos suos, quicumq; solis radios acie oculorum perferunt, eos adhibere aiunt curam ut nutriant educantq; pro suis: qui autem non perferunt, illos eijcere ab earum nidis tanquam nothos ferunt: ita nos eum versum, qui quidem iam illius nostri libri veritatem splendoremq; reformidat, ex Maroniano eo nidulo tanquam suppositum (si tibi videtur) eijciamus. Neq; enim prorsus vel ad fabulæ sensum atq; ordinem, vel ad carminum structuram quicquam facit: quam etiam impedit potius frangitq; quoquo modo: quod ipsum tamen apparebit latius, cum ad hæc respexeris, quæ sequuntur:

Quam comitabantur fatalia carmina quercus,
Quercus antè datæ Cæceris quàm semina vitæ:
Illas Triptolemi mutauit sulcus aristas.
Hic magnum Argæ naui decus edita pinus
Proceras decorat sylvas hirsuta per artus,
Appetit acris contingere montibus astra.

ilicis & nigrae species, & leta cupressus,
 Umbrosæq; manent figus, hederæq; ligantis
 Brachia, fraternos plangat ne populus ictus:
 ipsæq; excedunt ad summa cacumina lente,
 Pinguntq; aureolos viridi pallore corymbos:
 Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.

HERM. Sed retine te hoc loco Pomponi. Cupio autem scire ab hoc Phædro (nam à te satis multa didici) cur Virgilius veteris fati myrtum consciam dixerit. Itaq; si quid habes Phædre, explica. Te verò habere aliquid, etiamsi ingenium illud elegans, alacre, floridum, scatens vndiq; ignorarem tuum, tamen quia hunc sectaris, mihi quidem esset exploratum satis. Quamobrè loquere: audire enim te nunc volo, qui quidem siluisti tandiu. PHAED. Ego verò Hermolae, si id ita esset, vt videris ipse existimare: anas enim hunc meum magistrum Pomponium, sed non magis, quam ille te: haberemq; aliquid, quod tibi afferrem hoc quomè appellas loco (quanquam vobis presentibus nihil tamen dedecet, quam omnino loqui) promerem quidem certè, quicquid id esset, malleq; tuæ voluntatis, quam mea verecundia habere rationem. Nunc autem cum nihil habeam, peto à te Pomponi, vt illi respondeas: decet enim magistrum sæpenumero discipuli causam sustinentè respondere. POMP. Imò enim potius & ego & tu illum rogemus Phædre, vt sibi ipse respondeat: nam quis hoc facere melius illo potest? Itaq; te cum pro me, tum pro hoc rogo Hermolae, vt proferas, quæ habes: habere autè te certè aliquid existimo etiam præter ea, quæ de Helpenoris tumultu circumferuntur: nam de his poposcisse te nihil puto, quæ sunt etià populo notissima. HERM. Rectè putas: de ijs enim nihil

hil poposceram, quanquã non sunt illa quidem spernenda. Sed quoniam ita vultis, referam non iam tibi (neq; enim tecum nunc ago Pomponi) sed omnino isti, Heronis, si rectè memini, fabellam, quæ quidem modò mihi, cum tu illum versum recitares, redijt in mentem. Ait enim in Georgicis suis, quæ quidem Græco sermone cõscripsit, fuisse olim Athenis virginem Myrsinen nomine, cum puellas reliquas pulchritudine, tum certè robore omnes iuuenes superantem. Itaq; à Pallade peramabatur: erat autem in palestris stadijsq; ferè semper, coronare etià illos solita, qui vicissent. Sed cum inuidia quidam iuuenes afficerentur, sese ab illa certaminibus superatos, puellam interfecerunt: Mincruæ autem desiderium non restinxerunt. Manet enim illa dea, quemadmodum oleæ familiaris in arborem mutata sui nominis: ita enim (vt scis) Græci Myrtum dicunt. Tu autem Phædre ecquid hæc ad illum locum faciant, postea videris. Nunc verò, cum nihil afferre vis de tuo, sinamus pergat Pomponius ad ea quæ sequuntur. Itaq; Pomponi sequere: mauult enim iste te, quam me, vt video, audire. POMP. Non est ita Hermolae: nam te quidem Phædrus non planè minus audit libenter, quam ego. Sed dabimus vterq; operam, vt tibi mos geratur. Itaq; attende ad reliqua:

At volucres patulis residentes dulcia ramis,
 Carmina per varios edunt resonantia cantus.
 His suberat gelidis manans è fontibus vnda,
 Quæ leuibus placidum riuus sonat orta liquorem.
 Et quanquam geminas auium vox obstrepit aures,
 Hac querula referunt voces, quis nantia limo
 Corpora lympha fouet: sonitus alit aeris Echo,
 Argutis & cuncta fremunt ardore cicadis.

At circa passim fessæ cubuere capellæ,
 Excelsisq; super dumis, quos leniter adflans
 Aura susurrantis possit confundere venti.
 Pastor ut ad fontem densa requieuit in umbra,
 Mitem concepit proiectus membra soporem,
 Anxius insidijs nullis, sed lentus in herbis
 Securo pressos somno mandauerat artus.
 Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
 Ni fors incertos iussisset ducere casus.
 Nam solitum voluens ad tempus tractibus iisdem
 Immanis vario maculatus corpore serpens,
 Mersus ut in limo magno subsideret æstu,
 Obuia vibranti carpens grauis acra lingua,
 Squamosos late torquebat motibus orbes.
 Tollebant auræ venientis ad omnia visus.
 Iam magis atq; magis corpus reuolubile voluens
 Attollit nitidis pectus fulgoribus, & se
 Sublimi ceruice rapit, cui cristæ supernæ
 Edita purpureo lucens maculatur amictu,
 Aspectuq; micant flammantia lumina toruo.
 Metabat sese circum loca, cum videt ingens
 Aduersum recubare ducem gregis: acrior instat
 Lumina diffundens intendere, & obuia toruo
 Sapius arripiens infringere, quod sua quisquam
 Ad vada venisset. naturæ comparat arma:
 Ardet mente: furit sbridoribus: intonat ore:
 Flexibus euersis torqueatur corporis orbis:
 Manant sanguinæ per tractus vndiq; guttæ:
 Spiritibus rumpit fauces. cui cuncta paranti
 Paruulus hunc prior humoris comterret alumnus,

Et mortem vitare monet per acumina: namq;
 Qui diducta genas pandebant lumina gemmis,
 Hic scuioris erat naturæ, pupula telo
 Icti leui: tum profuitur furibundus, & illum
 Obrutum morti misit: cui distitus omnis
 Spiritus excessit sensus: tum torua tenentem
 Lamina respexit serpentem comminus: inde
 Impiger exanimis vix compôs mente refugit,
 Et validum dextra truncum detraxit ab orno,
 Qui casus sociarit openi, numtên ue deorum.
 Namq; illi dederit ne viam casus ue Deus ue,
 Prodere sit dubium: voluit sed vincere tales,
 Horrida squamosi voluentia membra draconis
 Atq; reductantis crebris fœdeq; petentis
 Istibus ossi ferit, cingunt quæ tempora cristam,
 Et quod erat tardus, omni languore remoto,
 Nescius, aspiciens, timor obcæcauerat artus,
 Hoc minus implicuit dira formidine mentem.

Quem postquam vidit cæsum laguescere, sedit.
 Sed ego hoc loco errata Hermolæ explicare tibi singula nō
 in isto aliorum librorum: facies id quidem (ut sepe iam di-
 xi) per te ipse, cum voles: atq; ut facias, vehementer te rogo:
 non enim commutata verba tantum nōdo, inter seq; non co-
 herentia, sed etiam præteritum inuenies integrum versum,
 eumq; quem quidem præteriri minime oportuit, minimeq;
 opus fuit. Interea quæ supersunt consiciamus.

Iam quatit, & biuges oriens Erebo cit equos nox,
 Et piger aurata procedit vesper ab Oeta,
 Cum grege compulsio pastor duplicantibus vmbri
 Vadit, & in seissos requiem dare comparat artus.

Cuius ut intrauit leuior per corpora somnus,
 Languidaq; effuso requierunt membra sopore,
 Effigies ad eum culicis, deuenit & illi
 Tristis ab euentu cecinit conuicia mortis.
 Inquit, quid meritis, ad quæ delatus acerbas
 Cogor adire vices? tua dum mi charior ipsa
 Vita fuit, vita, rapior per inania ventis:
 Tu lentus refoues iucunda membra quiete
 Ereptus tetrìs è cladibus. at mea manes
 Viscera lethæas cogunt transire per undas:
 Præda Charontis agor. Viden', vt flagrantia tædis
 Lumina collucent infestis omnia templis?
 Obuia Tisiphone serpentibus undiq; compta,
 Et flammæ & sæua quatit mihi verbera pœnæ
 Cerberus, & diris flagrant latratibus ora,
 Anguibus hinc atq; hinc horrent cui colla reflexis,
 Sanguineiq; micant ardorem luminis orbes.
 Heu quid ab officio digressa est gratia, cum te
 Restitui superis leti iam limine ab ipso?
 Præmia sunt pietatis ubi? pietatis honores
 In vanas abire vices, & rure recessit
 Iustitiæ prior illa fides: instantia vidi
 Alterius, sine respectu mea fâta relinquens.
 Ad pariles agor euentus: fit pœna merenti:
 Pœna fit exitium: modò sit dum grata voluntas,
 Existat par officium, Feror auia carpens,
 Auia Cimmericos inter distantia lucos.
 Lucos autem Cimmericos, sumpta ab Homero fabula, dixit:
 qui cum sciret Cimmericos Septentrionis populos subterra-
 neis domicilijs habitantes ita viuere, vt more patrio aspi-
 cere

cere nemo Solem posset, eos apud inferos finxit esse. Itaque
 vt alia eius pœnæ multa, sic est hoc Maro noster mutuatus.
 Sed ad reliqua:

Quem circa tristes densantur in omnia pœnæ:
 Nam vinctus sedet immanis serpentibus Othos,
 Deuinctum mœstus procul aspiciens Ephialten,
 Conati quondam cum sint incendere mundum:
 Et Tithyos Latona tuæ memor anxius iræ,
 (Implacabilis ira nimis) iacet alitis escæ.
 Terreor à tantis insistere, terreor umbris,
 Ad Stygiæ reuocatus aquas: vix vltimus amni
 Restat, nectareas Diuum qui prodidit escas,
 Gutturis arenti reuolutus in omnia sensu.
 Quid, saxum procul aduerso qui monte reuoluit,
 Contempnisse dolor quem numina vincit acerbus,
 Ocia quærentem frustra? Vos ite puellæ,
 Ite, quibus tædas accendit tristis Erynnis,
 Sicut hymen præfata dedit connubia mortis,
 Atq; alias alio densat super agmine turmas,
 Impietate fera recordem Colchida matrem,
 Anxia sollicitis meditantem vulnera natis,
 Iam Pandionias miseranda prole puellas,
 Quarum vox Ityn & Ityn, quod Bistonius rex
 Orbis epops mæret volucres euectus in auras.
 At discordantes Cæmeo sanguine fratres,
 Iam truculenta ferunt infestaq; vulnera corpus,
 Alter in alterius, iamq; auersatus vterq;
 Impia germani manat quod sanguine dextra.
 Eheu mutandus nunquam labor: auferor vltra
 In diuersa magis: distantia numina cerno,

· Elysiam tranandus agor delatus ad vndam.
 · Obuia Persephone comites Heroidas vrget
 Aduersas perferre faces. Alcestis ab omni
 Inuiolata vacat cura, quod seua mariti
 Ipsa suis satis Admeti fata morata est.

Sed est Hermolae planè mirum, in his versibus quàm per-
 uerse multa legantur. Nam præter eos, ubi de Belidibus Poe-
 ta, deq; Ily mentionem facit, hi ipsi de Alceſtide ita sunt im-
 mutati, spectanturq; alia facie reliquis in libris, ac visuntur
 in nostro, vt verear, si librum illum tibi legendum agnoscen-
 dumq; nõ præbuero, ne existimes hæc me inuenisse de meo.
 quanquam quidem non multò sanè minus peccatum erra-
 tumq; esse in ijs etiam deprehendes, quæ sequuntur:

Ecce Ithaci coniunx semper decus Icarioris,
 Fœmineum incorrupta decus manet: & procul illam
 Turba ferox iuuenum telis confixa procorum.
 Quin misera Eurydice tanto mœrore recessit,
 Pœnãq; respectus, & nãmne manci Orpheus in te.
 Audax ille quidem, qui mitem Cerberon vnquam
 Credidit, aut vlli Ditiis placabile numen,
 Nec timuit Phlegetontã furentem ardentibus vndis,
 Nec mœsta obtentu diro & ferrugine regna,
 Defossãq; domos, ac Tartara nocte cruenta
 Obsita, nec faciles Ditis sine iudice sedes:
 Iudice, qui vitæ post mortem vindicat acta.
 Sed fortuna valens auidacem fecerat Orpheã.
 Iam rapidi steterãt amnes, & turba ferarũ al' manes
 Blanda voce sequax, regionem infederat Orphei:
 Iamq; inam viridi radicem mouerat altè
 Quercus humo steterantq; amnes, sylvãq; sonoræ

Spon-

Sponte sua cantus rapiabant cortice amara:
 Labentes bijuges etiam per sydera Luna
 Præsit equos: & tu correnteis menstrua Virgo
 Auditura lyram tenuissũ nocte relicta.
 Hæc eadem potuit Ditis te vincere coniunx,
 Eurydicenq; vltro ducendam reddere, non fas,
 Non erat in vitam Diuæ exorabile numen.
 Illa quidem nimium manes experta scucros
 Præceptum signabat iter, nec rettulit intus
 Lumina, nec Diuæ corrupit munera lingua.
 Sed tu crudelis, crudelis tu magis Orpheu,
 Oscula chara petens rupisti iussa Decorum.
 Dignus amor venia, paruum si Tartara noſsent
 Peccatum ignouisse.

Nunc autem ò Hermolae (iuuat enim sic me appellare te sæ-
 pius) an non tibi etiam, quemadmodum mihi, hanc quo-
 que de Orpheo mentionem, fabulæq; narrationẽ satis mul-
 tis carminibus explicatam, quam recensui, ferè vniuersam
 transfulisse Virgilius in illos ipsos Georgicorum nunquam
 quidem satis laudatos libros videtur, quanquam ordine al-
 lio verborũ ac via? Nam quod hîc ait, Audax ille quidem,
 qui mitem Cerberon vnquam Credidit, aut vlli Ditis pla-
 cible numen, Nec timuit Phlegetonta furentem ardenti-
 bus vndis, Nec mœsta obtentu diro & ferrugine regna,
 Defossãq; domos, ac Tartara nocte cruenta Obsita: ibi
 (si rectè meminî) postea dixit, Tenareas etiam fauces alta
 ostia Ditiis, Et caligantem nigra formidine lucum Ingres-
 sus manesq; adiit, regemq; tremendum, Nesciaq; humanis
 precibus mansuescere corda. Quodq; item hîc: Iam rapi-
 di steterant manes, & turba ferarum: & reliqua. Ibi item,

GGG 4

Quin ipsæ stupuere domus atque intima læti Tartara, & quæ sequuntur. Tum quod hic ita: illa quidem nimium manes experta seucros, Præceptum signabat iter, nec rettulit intus Lumina, nec Diæ corruptit munera lingua. Ibi etiam ita: Iamq; pedem referens casus euaserat omnis, Redditaq; Eurydice superas veniebat ad auras. Pone sequens, nanq; hæc dederat Proserpina legem. Quodq; hic, Oscula chara petens rupisti iussa deorum. ibi, Rehitit, Eurydicenq; suam iam luce sub ipsa, Immemor heu victusq; animi respexit: ibi omnis Effusus labor, atq; inimicis rupta tyranni Fœdera. Demum quod hic, Dignus Amor venia, paruū si Tartara nossent Peccatū ignouisse. ibi sic, Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes. Vt iam si cōputes conferasq; sententias, ferè quidem nihil horum non probauisse illum fateare, cum tam multa de hoc Culicis pastorali penu, in perurbanas illas perelegantesq; Georgicorū epulas conficiendas deprompsit. An nō tibi ita videtur? HERM. Mibi quidem videtur. Sed sequere. P O M P. Ego verò sequor.

— Sed & vos sede piorum

Vos manet heroum contrā manus. hic & vterq;
 Aeacides: Peleus nanq; & Telamonia virtus,
 Per securā patris latantur numina, quorum
 Comubijs Venus & virtus iniunxit honorem.
 Hunc rapuit serua, ast illum Nereis amauit.
 Asidet hæc iuuenis, fociat quem gloria, fortis,
 Acer, inexcussus, referens a nauibus ignes
 Argolicis Phrygios, torua feritate repulso.
 O quis non referat talis diuortia belli,
 Quæ Troiæ videre viri, videreq; Graij,
 Teucra cum magno manaret sanguine tellus,

Et si-

Et Simois Xanthiq; liquor, Sygeaq; præter
 Littora, cum Troes sæui vos Hectoris ira
 Videre in classes inimica mente Pelasgas
 Vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos.
 ipsa iugis nanq; Ida potens feritatis, & ipsa
 Aequa faces altrix cupidis præbebat alumnis,
 Omnis vt in cineres Rhœtei littoris ora,
 Classibus ambustis flamma superante daretur.
 Hinc erat oppositus contrā Telamonijs heros,
 Obiectoq; dabat clypeo certamina: & illinc
 Hector erat Troiæ summum decus, acer vterq;
 Fulminibus cælo veluti fragor editus alto,
 Ignibus hic telisq; super, si classibus Argos
 Eripiat relictus: ille vt Vulcania ferro
 Vulnera protectus depellere nauibus instet.
 Hoc erat Aeacides alter letatus honore,
 Dardaniæq; alter, fuso, quod sanguine campis
 Hestoreo victor lustrauit corpore Troiam.
 Rursus acerba fremunt. Paris hunc quod letat, & huius
 Alma dolis Ithaci virtus quod concidit ista.
 Hinc gerit auersos proles Laertia vultus,
 Et iam Strimonij Rhesi victorq; Dolonis,
 Pallade iam letatur ouans, rursusq; tremiscit
 Iam Ciconas, iam iamq; horret Læstrygonas atros.
 Illum Scylla rapax canibus succincta molossis,
 Aetnæusq; Cyclops, illum metuenda Charybdis,
 Pallentesq; lacus, & squalida Tartara terrent.
 Hic & Tantalci generis decus amplius Atrides
 Asidet, Argiuū lumen, quo flamma regente
 Doris Erichthonias prostrauit funditus arces.

Ggg 5

Reddidit heu grauius poenas tibi Troia ruenti,
 Hellepontiacis obiturus reddidit vndis.
 Illa vices hominum testata est copia quondam,
 Ne quisquam propriae fortunae munere diues
 Iret inuectus coelum super omne propinquo
 Frangitur inuidiae telo decus. Ibat in altum
 Vis Argoa petens patriam, ditataque praeda
 Arcis Erichthoniae: comes huic erat aura secunda
 Per placidum cursu pelagus: Nereis ad vndas
 Signa dabat, pars inflexis super acta carinis:
 Cum, seu coelesti fato, seu syderis ortu,
 Vndique mutatur caeli nitor: omnia ventis,
 Omnia turbinibus sunt anxia: iam maris vnda
 Syderibus certat consurgere, iamque superne
 Corruere et Solis, et sidera cuncta minantur.
 Ac venit in terras caeli fragor: hic modo letum
 Copia, nunc miseris circumdatur anxia fatiis.
 Latum vero dixit, pro Latorum, antiquo illo more quem te-
 tigit in Oratore suo Cicero: nam qui prius erant leti, cure-
 suque prospero vehebantur, tunc anxij tristesque circumdaban-
 tur miseris fatiis. Itaque sequitur:

Immoriturque super fluctus et saxa Capharej,
 Euboicas et per cautes, Heracleaque late
 Littora, cum Phrygiae passim vaga praeda perempta
 Fluctuat omnis in aequoreo iam naufraga tractu.
 Hic alij fidunt pariles virtutis honore
 Heroes, mediisque siti sunt sedibus omnes,
 Omnis Roma decus magni quos suscipit orbis.
 Hic Fabij, Decijque, hic est et Horatia virtus,
 Hic et fama vetus nunquam moritura Camilli,

Curtius

Curtius et medijs quem quondam sedibus urbis
 Deuotum bellis consumpsit gurgitis haustus:
 Mutius et prudens ardorem corpore passus,
 Legitime cessit cui fracta potentia regis.
 Hic Carius clarae socius virtutis, et ille
 Flaminius, deuota dedit qui corpora flammæ.
 Iure igitur talis sedes pietatis honorat.
 Illic Scipiadæque duces, deuota triumphis
 Mocnia, quos rapidos Libycæ Carthaginis horrent.
 Illi laude sua vigeant: ego Ditis opacos
 Cogor adire lacus, viduos a lumine Phœbi,
 Et vastum Phlegtona patit, quo maxima Minos
 Conscelerata pia discessit vincula sede.
 Ergo iam causam mortis me dicere vincitæ
 Verberibus seuo cogunt ab iudice poenæ,
 Cum mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis,
 Nec tolerabilibus curis hæc immemor audis.
 Quæ tamen ut vanis dimittens omnia ventis,
 Digredior nunquam rediturus: tu cole fontes,
 Et virides nemorum sylvas, et pascula letus,
 Et mea diffusa rapiantur dicta per auras.
 Dixit, et extrema tristis cum voce recessit.
 Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitæ,
 Interius grauius mentem æger, nec tulit vltra
 Sensibus infusum calicis de morte dolorem.
 Quantumcunque sibi vires tribuere seniles,
 Quis tamen infestum pugnantem deuicerat hostem,
 Riuum propter aquæ viridi sub fronde latentem,
 Conformare locum capit impiger: hunc et in orbem
 Destinat, ac ferri capulum repetiuit in usum,

Gramineam vt viridi foderet de cespite terram.
 Iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
 Congestum cumulauit opus, atq; aggere multo
 Telluris tumulus formatum creuit in orbem:
 Quem circum lapidem leui de marmore formans
 Conserit assidue curæ memor, hic & acanthus,
 Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
 Et violæ omne genus: hic est & Spartica myrtus,
 Atq; Hyacinthus: & hic Cilici crocus editus aruo,
 Laurus item Phœbi surgens decus: hic rhododaphne,
 Liliâq; & roris non auiâ cura marini,
 Herbaq; thuris opes priscis imitata Sabina,
 Chrysanthusq; hederæq; nitor pallente corymbo,
 Et Bocheus Libyæ regis memor: hic amaranthus
 Buphthalmusq; virens, & semper florida Picris.
 Non illinc Narcissus abest, cui gloria formæ,
 Igne Cupidineo proprios exarsit in artus,
 Et quoscunq; nouant vernantia tempora flores.
 His tumulus super inferitur: tum fronte locatur
 Elogium, tacita format quod litera voce:
 Parue Culex pecudum custos, tibi tale merenti
 Funeris officium vitæ pro munere reddit.

Sed est à me tibi gestus Hermolæ mos, vt vides, explicatiq;
 filo atq; ordine Culicis iam quidem omnes, vt volebas, ver-
 sus, nisi quid me meus memoriæ sensus fefellit, quod esset ta-
 men ipsum non mirandum: aliarum enim rerum cum scri-
 ptionibus tum certè lectionibus occupati, vel priuatis vel
 publicis, diu nihil horum cōmentamur. Sed siue me aliquid
 fugit, siue non fugit, resumendi tibi erunt tui libri, quemad-
 modum dixi, relegendiq; antè, quàm ea quæ ipsi recensui-

mus

mus atq; in libris reliquis non habentur, è memoria elabaz-
 tur tua. Nam et sunt illa quidè valde multa, ac nescio an plu-
 ra etiam quàm ipsi versus, & similitudine plurimū fallunt.
 Quàm enim multos fefelisse illud putas, quod dixi, Et sem-
 per florida Picris? Pinus enim ià vbiq; non Picris legitur.
 Fallit autè illud, semper florida. Nam quidem cum pro eo,
 quod est semper virens, recipiatur, quoniam Pinus semper
 viret ipsa, nihil vltèrius ambigunt, quiescuntq; iam omnes,
 sensus scriptionisq; delusi vicinitate. Qua in re facillimè qui-
 dem poteram ipse quoq; cum cæteris decipi. Non enim mo-
 do nullo in libro est à me vnquam lectum Picris, sed ne in
 meo illo ipso perueteri quidem, ea pagellæ parte cōsumpta
 delapsaq; vetustate. Verum cum Pinus, vel quia maior ea ar-
 bor est, quàm ille ipse poscat, in quo scriitur, locus: vel quia
 omnino nunquā floret, mihi quidè non probaretur, venis-
 setq; in mentè Picridem herbã esse, quæ semper floreat: ita
 emendari aptissimè versum, veteremq; verum sensum resti-
 tui existimaui, si Picris scriberetur. Putabam enim euenisse
 aliquando, vt cum id indocti homines legissent, neq; quid
 esset Picris compertum ipsi habuissent (non enim multum
 nota herba est) Pinus scripsissent, rati ita scribi oportere:
 quod quidem postea emanarit latius. Sed quoniam Hermo-
 læ tecum loquor, cui quidem sunt vni omnium maximè (vt
 iam scriptores reliquos taceam) Plinius, Theophrastus, Dio-
 scoridesq; familiares, quorū alterum castigasti, alteros etiã
 effecisti Latinos, non committam, vt mihi ipse assentiar pro-
 bémue aliquid, nisi planè tu idem probes. HERM. Ista ve-
 rò Pomponi neq; vt sese probem exigunt: per se enim ipsa
 probantur satis: neq; si mihi nō probarentur, haberem ipse
 quo refellerem modo: ita sunt fulta munitaq; non tam qui-

den veri similitudine, quam (vt mihi videntur) ipso verò. Quare tua ista siue Picris, siue Amaraço (sic enim illum appellat Theodorus) posthac quidē inter illos Culicis frutices herbulaq; semper manebit: itaq; refloreat sinanus cū his, nullibi enim profectō vnquam florebit aptius, quam eo in loco. Sed quid illud herbæ est Pomponi, quod dixisti, Et Bochus Libyæ regis memorē Ego enim corū quæ terra gignit, isto nomine: antea nunquā quicquā legi, neq; porro vllā historiā, quæ quidem huius à Bocho rege traditi nominis ratio causaq; recenseatur: quod mihi quidem videtur innuere Virgilius illo versu. Tu si legisti aliquid in hanc sententiam, id quid sit, valde auco scire. P O M P. Atqui ego Hermolæ de te ista ipsa quærere volebam modò. Quamuis enim tu iuuenis admodum sis, ego autem profectō iam senex, non est tamen cur me pœniteat doceri abs te, si quid ignorem: ignoro autem, vt vides, semper multa. Nam qui plura legerit, quam tu, aut etiam scripserit, adhuc quidem nostræ ætate neminem video. Sed quoniam ea in re ipse me consultis, quæ de ego te consultum volebam, feram iam id moderatius. Tantum dico, cum tam multi omnis generis tum Græci tum Latini scriptores deperierint, vt ipse dicebas modò, si vnus aut alterius fabule argumentum notitiāq; desideratur, non esse mirandum, præsertim cū Poetæ nostro placuisse videamus, hoc de genere omnino, cuius fuisse illum peritissimū constat, interdum etiam reconditioribus nominibus, quasi flosculis, respargere suos libros. Nam (vt reliquæ prætereantur) planè Amello quid sit, quem ipse in Georçorum libris florem dixit esse ab agricolis ita vocatum, a libi non temerè inuenies. Buphthalmū autem, quod eodem in Culice posuit, est illud quidem non notissimū certè nomē, sed

sed tamen est eius herbæ, quam Aizoum Græci vocant pars nobilior, ita dicta, propter foliorum indeficientem viriditatem: itaque addidit, semper virens: nam illud aduerbium temporis SEMPER, ad vtrāq; herbā, & Buphthalmū & Picridem retulit. Sed de his hæctenus, si tibi videtur. Est autem iam tempus, vt tu mihi item afferas aliquid è Terentij nostri fabulis, quemadmodum recepisti te facturum, quòd hic etiam Phædrus, qui ea lectione plurimum delectatur, habetq; eum librum ferè semper in manibus, sese augeat probis & incorruptis locis. Nam te librum habuisse Terentianum peruetustum maioribus scriptum literis, ijs quas verè antiquas dicimus, sæpe audiui. HERM. Est istud quidem verum, quod dicis: nam & habui cum librum, & legi, & notauī multa, quæ delectare Phædrum poterunt: si quidem est, vt dicis, in legendo illo plurimus. Quamquam quid prohibet nos etiā Pomponi eius Poetæ vel candore elegantiāq; sermonis, vel pudore grauitateq; delectari: quibus Cicero ipse tam est delectatus, vt nō pauca inde sumpsit, transtuleritq; in sua scripta nō minus libenter, quam etiā ambitiosè, vt mihi quidem videtur. Sed geram tibi morem, referamq; non planè omnia quæ antiquo in libro probè scripta animaduerti esse, sunt enim propè innumerabilia: sed ea, quæ meminero. Itaque attende, num hoc aliquid sit, quod primum mihi in mentem venit. Nam quæ leguntur argumenta fabularum in Terentianis libris, ea Terentij non sunt:

- Sororem falso creditam meretricule
- Genere Andriæ, Glycerium vitia Pamphilus. Itemq;
- Sororem falso dictitatum Thaidis,
- Id ipsum ignorans miles abduxit Thraso. & reliqua

que habentur fabularum reliquarum argumenta, ea dico Terentij non esse. P O M P. Tunc hoc dicis Hermolac, Terentium Poeta argumēt. illa nō scripsisse? H E R M. Verō. P O M P. Neq; illum ea composuisse? H E R M. Id ipsum. P O M P. Cuius autem sunt? nam te puto id scire, qui scias Terentij non esse. H E R M. Sunt illa quidem C. Sulpitij Apollinaris, eius quē sepe citat Gellius, docti & eruditi viri, quiq; Pertinacē Imperatorē Latinas literas docuit. Nam in eo vetusto libro, quē dixi, is est eorum argumentorū titulus: C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA, vnus idemq; omnium. P O M P. O præclarum librū: siquidem eius edicto Sulpitius tanto post tempore in possessionem suorum carminum restituitur. Sed ista Sulpitij siue argumenta siue periochæ, vt est in libro illo Hermolac, ab ijs quæ vulgo habentur, ecquid discrepant? vt si ea nobis recensueris, aliquid lucri vterq; nostrum faciat. H E R M. Discrepant sanē illa: sed quantum, iam de Politiano intelliges. Is enim sibi ea descripsit modō, cum ei librum ostendisset: fidemq; mihi dedit, se impressoribus mandaturum, vt ea in vulgus darent. Itaq; te ad Politiani libros reijcio. Sed mirum est, quā aliter multa scripta eo in libro sunt, ac sunt in alijs: vt appareat singulas omnino paginas etiamnū probam illam antiquitatem redolere. Nam et in Heautontimorumenno est:

Quid seni erit nostro miserius? non senē. Et paulō post:
Eius anuis causa opinor, que erat mortua. non anuis:
quod etiam notat Gellius: & quomodo, si rectē memini,
Varro in libro de Agricultura primo dixit, vt Mimerue caprini generis nihil immolarent propter oleam, quōd eam, quam læserit, fieri dicunt sterilem: eius enim saluam esse fru-

fructus venenū: pro eo quod est, fructus, quem quidem casum aliter in Adelpis protulit, antiquē tamen.

Nunc exacta etate hoc fructi pro labore ab ijs fero.

Et in Hecyra:

Ne nomē quæsti mihi obstat: nā mores faciliē tuor. Itēq;
Quid fuit tumulti? dic mihi, an dolor repentiē vasti?

Et in Phormione:

Vbi in mentem eius aduenti venit.

Est & in Eunuchō QVI, dandi casu positum, pro CVI.

Nam in me plane Di potestatem suam

Omnem ostendere, qui tam subito tot congruerint comoda. Et in Phormione:

O fortunatissime Antipho. Ant. Ego ne? Phæ. Qui quod amas, domist.

quod tamen rectē dictum videtur: vt à QVIS nominandi casu, dandi casus in hanc potius formam exeat QVI, quā in illam, CVI. Quod quidem miror latuisse Quintilianum. Is enim in eo Virgilij versu,

Qui non risere parentes,

Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est,

QVI nominandi casum, dixit esse pluralis numeri. Itaq; re tū sensum etiam peruertit Poetæ. nam quod ait Virgilius,

Incipe parue puer risu cognoscere matrem:

non id vult, vt puer arrideat matri, sed vt cognoscat matrē ab eius risu: nam agis enim mulieres omnes suis arrident filijs, quā aliarum, quippe quæ magis etiam illis inuendis gaudeant, necesse est: vel quoniā extra laborem ferendi ventrē, pariendiq; dolores & pericula iam sunt, vel quōd pueros ex se nato vident, quod est omnium rerum inuandissimū. Itaq; repetit, Incipe parue puer. Nam cui puer o parentes

non riserint, quoniam id accidere nisi propter eximiam aliquam deformitatem non potest, hic iam ex ijs esse qui Dijs cari sunt non videtur, neque dignus qui vitæ cum muneribus maximis, tum hilaritatibus egregie perfruatur. An non tibi ita Pomponi videtur? POMP. Mibi quidem videtur: cõque magis, quod in meo illo Virgiliano peructuisto libro, quem dixi, ita scriptum est, Cui non risere parentes, ut iam ne liceat quidem aliter credere. Error autem omnis in eo est, quod risum ad puerum referunt: nam si ad matrem retulissent, nihil ambigeretur. Puto autem te memoria tenere ea, quæ Politianus quoque hoc ipso de Virgilij loco scripsit. HERM. Quid ni teneã Pomponi? quem quidem locum ex facili atque aperto, etiam durum & à Virgiliana loquendi simplicitate alieniorem facit. Sed de eo ipse videtur. Antiquitatis autem amatorem fuisse Terentium, etiam illa indicio sunt in Hecyra:

Fors fuit pol. ab eo deductum verbo perantiquo, quod est FVO, valetque idem, quod Sum: quo etiam est Virgilius vsus, Tros Rutulus ue fuit. pro sit. Et illi in Phormione, Præbit, pro eo quod est, Præbet.

Ea qui præbit, non tu hunc habebas planè presentem Deum? Et Ductis, pro Ductes.

Ut me phaleratis ducas dictis, & meam ductis gratis?

Et Tacis, pro Taces: & Enicas, pro Enecas.

E ho tu consobrini tuum non noras? DEM. Enicas:

Dic nomen. PHOR. Nomen in axumè. DEM. Quid nunc tacis? Et postea:

Sati ne etiam, si te delibutū gaudio reddo? ANT. Enicas.

Quin tu has pollicitationes auferse? Et item: postea:

Abi, tange: si non totus friget, me enica.

Et Restitis, pro Restitas.

Id quidè tibi iam fiet, nisi restitis verbero. Et in Adelpis:

Vestitu nimio indulgis, pro indulges. Et

Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit.

pro, obstupuit: quemadmodum dicunt quidam scripsisse Virgilium, Obstipui, steteruntque; comæ. Et:

Obstipuit simul ipse. Tum in Heautontimorumenos:

Quisnã hic adolescens est, qui intuetur nos? pro, Intuetur.

Et, Luciscit: hoc iam cur cesso pultare ostium?

pro Lucefcit. Et in Adelpis:

Peri hercle: hac illi spe hoc inciperunt. pro Inceperunt. & alia item eiusmodi multis in locis. quibus quidem verbis illud contraria oratione dictum ab eo est in eisdem Adelpis:

Dedit præterea in sumptum dimedium minæ. pro Dimidium. Et in Eunuchos:

Interea aurum sibi clam mulier demet. pro Demet.

Et in Phormione, Neglegitur, pro negligitur.

Quia egens relictast misera, ignoratur parens,

Neglegitur ipsa. Vide avaritia quid facit. Et paulò infra:

Sæpe interca mihi senex

Na. rabat se hunc neglegere cognatum suum.

& alibi etiã. Nam quod dixi relictast, ita sæpissime scriptū eo in libro inuenies, pro Relicta est. & futurumst, pro futurum est. Quod verò in Phormione, vbi Sophrona & Chremes colloquantur, hæc due visuntur literæ sic positæ, S T.

Di obsecro vos, est ne hic Stilphos? Chr. non. Soph. negas?

Chr. Concede hinc à foribus paululum istorsum sodes

Sophrona,

Ne me istoc posthac nomine appellassis. Soph. Quid non obsecro is,

Quem semper te esse dictitasti? Chr. St. Soph. Quid has metuis fores?

Silentij est illa quidem nota, St. ut eo quasi nutu et signo potius quam voce, ostendamus velle nos sileri ab ijs, quibus cum sumus: quemadmodum volebat Chremes silere Sophronam, ne ab uxore ipsius exaudiretur. quam notam cum non perciperent ij qui legebant, E literam addiderunt, Estq; fecerunt: quo sanè verbo mirificum Poetæ sensum perturbauerunt. Quod autem in eadem legi fabula,

Interea dum sedemus illi, interuenit

Adulescens quidam lachrymans.

Ille est, pro illic, vetusto sanè more: ut etiam in Hecyra,

Itaq; ineptus hodie dum illi scdeo, ut quisq; venerat

Accedebam. Quo verbo etiã Virgilius est vsus: Patet isti ianua letho.

Tum illud etiam, quod in eadem Hecyra est:

Horunc ea ad hos de lege redibat hæreditas

pro eo quod est, Horum. Est antiquè dictum, addita Clite-
ra, ne collisio fieret.

Quid illud in Phormione autè Pomponi, q̄ venustè dictum?

Heus quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen

Adhuc curavi vnũ hoc quidem, ut mihi esset fides. nõ
ut est in reliquis. Quantamcunq;, quod quidem etiam in A-
delphis legitur:

Tu quantus quantus, nil nisi sapientia es.

Aut quid etiam illud in eodem Phormione?

Nam quæ hæc anus est, exanimata à fratre quæ egres-
sast meo?

nõ autem, Quenam, ut habent omnes. A quo mihi quidem
loco sumpsisse Virgilius videtur eam loquendi figurã, qua
est in

est in Georgicis vsus tam aptè tamq; venustè, ut nihil supra,

Nam quis te iuuenum confidentissime, nostras

luserit adire domos? Quanquam venustè etiam illa per
literæ detractionem sunt dicta in Andria:

Ne istam tuam multimodis inueniri gaudeo.

Et in Eunuchis:

Quid is obsecro ad nos quamobrem adductust?

Amabat enim veteres multum, ut scis, S literæ abiectio-
nem.

quantã quidè alias etiã literas abijciebãt, ut in ipsa Eunuchis:

Anni? Chre. Anni? Sedecim. Et item:

At ille alter venit annos natus sedecim. Et in Hecyra:

Nam abducta à nobis prægnas fuerat filia.

Nec fuisse prægnatam ante hunc vnquam sciui diem.

Et in Adelphis:

Sed vereor ne indiligens nimium sis.

In quo illud mihi mirum admodum videri solet, quòd quam

literam abijciebant multis in verbis, ut vides ex his Pom-
poni, veteres homines ad gratiam, eandem in multis adde-
bant: ut in Andria,

Ex ipsa miliens audui. Et in Phormione:

At enim tædet etiam audire eadem miliens. Et in Heau-
tontimorumenis:

Vt nihil credas intelligere, nisi idem dictum sit centiens.

Quo etiam more in antiquissimo Virgilij libro legisse me,
memoria teneo illum versum:

Et nouiens Styx interfusa coercet.

Quanquam in eodem libro etiam illud legi:

Nec face tantum

Cisseis prægnas ignis enixa iugales.

Sed est etiam in Eunuchis:

More hominum euenit, ut quid sim nactus mali
Prius rescisceres, quam ego illud, quod mihi euenit
boni.

Sed & finctum pro ficto, & thesaurum, pro thesauro, &
formosorem, pro formosiore, alijs idem in locis Poeta di-
xit: tum illud etiam in Eunucho, ossum, pro eo quod est, os.
In quo cognosci potest, quam rectius in vetusto illo, quem to-
tiens iam dico, libro scriptum id sit:

Vident' Ossum & cibis quid faciat alienus?
quam in cæteris, qui habent Ocium, non Ossum. Sed iam ve-
reor ne vobis planè videar minuta nimium & pusilla con-
sectari. P O M P. Nobis verò Hermolæ nihil pusillum
potest esse, quod eiusmodi sit, in quo videas Poetam tanti no-
minis etiã diligentia adhibuisse, ut illo modo potius, quam
alio conscriberet. Quin etiam, credas mihi velim, maiorem
in modum nos minuta ista delectant, quæ attulisti: valde e-
nim faciunt ad Terentianam industriam probitatemq; co-
gnosendam. Itaque sequere. H E R M. Est igitur, quoniã
ita vis, in Eunucho, vbi Thais ancillas suas properè alloqui-
tur, mandans ea quæ curari vult, sic:

Quid, quid aliud volui dicere? chem,

Curate istam diligenter virginem.

quasi Poeta suspensam Thaidem ostenderet secũ ipsam quæ-
rere, quidnã illud esset, quod mandare ancillis in animo ha-
buerat suo, neq; remissiuebatur. Itaq; ait, Quid, quid aliud?
Quo item sensu Cicero est vsus in suis illis ad Atticum vere
familiaribus epistolis, Quid præterea? quid etiam? Gabi-
nius ad 1111. Calendas Octobris noctu in urbem introijt.
Et alibi: Noui quidnam scribam? quid etiam? Messala con-
sul Anthronianam domum emit, Et item: Aliud quid etiam?

Quan-

Quando te proficisci istinc putes, fac ut sciam. Quibus in
locis, Etiam, non addentis est, sed annuentis affirmantisq;
se scilicet illud habere, quod scribat. ut loco eius verbi, quod
Terentius dixit Ehem, quod quidem erat poeticũ sanè ver-
bum, ipse Etiã diceret, castus mediusfidius & moderatius.
Apud Ciceronem autem non vno in loco, sed pluribus, E-
tiam, affirmantis esse notam, cui contrarium infertur, Non,
non te arbitror fugere. Sed vis ne tibi Pomponi recenseri à
me eos Poetæ versus qui mihi in mentem venient, in quibus
insit aliquid, quod te delectare possit: sinamq; te illud ali-
quid querere ex tuo Terentij libro, cum voles, domi tuæ?
P O M P. Ego verò maxime. Vult autem etiam Phædrus hic
ita te facere: qui quoniã est, ut vides, admodum adolescens,
retinebit illa melius, quæ dicuntur abs te, quam ego, qui se-
nex. Vacillare autem sepe memoriola senes homines, non
te fugit. Itaque vtar ipso, si erit opus, quare sequere. H E R-
M O L A V S: Ego verò sequor. Sunt igitur in eodem Eu-
nucho prima hæc:

Si quisquam est, qui placere studeat bonis

Quamplurimis, & minime multos ledere,

In his Poeta hic nomen profitetur suum.

Tum si quis est, qui dictum in se inclementius

Existimauit esse, sic existimet:

Responsum non dictum esse, quia læsit prior.

Qui bene vertendo & eisdem scribendo malè

Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Sunt & hæc:

Opus faciam ut defatiger vsq; in gratis ut dormiam.

Par. Vigilabis lassus: hoc plus facies? Phæ. Abi sis, nihil

dicis Parmeno. Et hæc:

Illum liquet mihi deierare his mensibus al'. nihil
 Sex septem prorsus non vidisse proximis. Et hæc:
 Ipsa est, illicet: desine iam conclamatum est.
 quemadmodum & alibi. Nam in Adelphis etiam,
 Hem tibi;
 Resciuit omnem rem: id nunc clamat: illicet:
 Parata lites. Et in Phormione:
 Hoc nihil est ò Phædria: illicet: quid hic conterimus ope-
 ram frustra?
 Sed sunt in Eunucho & hæc:
 Agere, eamus intrò nunc iam, orna me, abduc, duc, quan-
 tum potest. Et subinfra:
 Que nos nostramq; adulescentiã habent Despectam,
 Tum & hæc:
 Labore alieno magno partam gloriam
 Verbis sepe in se transfert, qui habet salem,
 Quod in te est. Thr. Habes. Gn. Rex te ergo in oculis,
 Thr. scilicet. Gn. gestare. Thr. Verò: credere omnem
 exercitum, Consilia. Et hæc:
 Aut dicat quod vult, ut molesta ne fiet. al'. aut
 Non hercle veniam tertio. Heus heus, ecquis hic est?
 Ego sum Chremes. Et hæc:
 Idq; adeò visam: visam, si domist. Quisnam hinc à Thai-
 de exit?
 Is est: an non est? ipse est. Quid hoc hominis? Qui hic
 ornatus est? Et hæc:
 Nunc quis hic est? nemo est. Nunc quis hinc me sequi-
 tur? nemo homost.
 Iam ne erumpere hoc mihi licet gaudium? proh Iuppiter
 Nunc est profectò interfici, cum perpeti me possim.

Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
 Sed neminem curiosum interuenire nunc mihi,
 Qui me sequatur quoquo eam, rogitando obtundat, e-
 nicet. Et hæc:
 Certè extrema linea
 Amare, haud nihil est. Et hæc:
 Quid nunc agimus? Gn. Quid? redeamus. Iam hæc ti-
 bi aderit supplicans Vliro. Et hæc:
 Nam iandiu aliquam causam querebat senex,
 Quamobrem insigne aliquid faceret ijs: nunc repperit.
 Et hæc:
 Si quid conlubitum, noui te. hoc si feceris,
 Quod vis donum, premium à me optato: id optatum fe-
 res. Et hæc:
 Accipit homo nemo melius neq; prolixius.
 Demum & in extremo hæc:
 Nihil præter promissum est: ite hæc.
 Sed quid est Pomponi, quod te cogitare attentè admodum
 video? an hæc que dixi, memorie cõmendas tue? P O M P.
 Minimè verò Hermolae: nam mihi satis est Phædrum ista
 de te audiuisse. Sed id dispicio potius, mecumq; ipse compu-
 to, quàm diuersa sint multa eorum, que à te recitata sunt,
 ab his, que vulgò habentur: redeunt enim mihi in mentem
 ferè singula: tum quàm parue illusiones momenta sepe
 non parua afferant Poetæ sensibus. ut illud est, quod di-
 xisti: Nam iandiu aliquã causam querebat senex, Quam
 obrem insigne aliquid faceret ijs: nunc repperit. illud enim,
 ijs, quod in tuo est, ut sit dandi casus pluralis numeri, me-
 mini me legere sic, ut esset nominandi, seniq; tribueretur:
 itaq; vna addita literula, Terentianam sermonis elegantiã

candoremq; qui deperierat, planè restituit. Sed nolo te interpellare: & quoniam Eunuchum, ut video, iam explicasti, ex Andria si quid habes, asser. Habere te autem æquè multa puto. HERM. Habeo, & asseram, sed non multa: nam ex illo libro maxima eius fabule pars desideratur, fugientibus vetustate literis, ut cognosci nequeant. Sed percepta mihi tamen sunt, atq; agnita, quod meminero, hæc per pauca:

Daue perij. D A. Quin tu hoc audi. P A M. Interij. D A.

Quid timeas scio.

C A R. Mea quidem herde certè in dubio vitast. D A.

Et quid tu scio.

P A M. Nuptie mihi. D A. Et si, scio. P A M. Hodie.

D A. Obtundis, tametsi intelligo.

Tum hæc:

Ego istuc moueo aut curo? num tu tuum malum æquo animo feras?

Ex Heautontimorumenno autem illa primùm mihi sese offerunt Menedemi senis cum fratre verba:

Putauit me etate & sapientia

Plus scire & providere, quàm seipsum sibi.

Tum & illa:

Ancillas, seruos, nisi eos qui opere rustico

Faciundo facile victum exercebant suum,

Omnes produxi, ac vendidi. Inscrispsi illicò

Aedis: mercedem quasi talenta ad quindecim Coegi.

Et infra:

Nec mihi fas esse vlla me voluptate his frui.

Eius aut in pagellæ margine, vbi hi erant versus, legi etiam illius verbi Excercerent, interpretationem minutulis adscriptam literis, ita: Excercerent, resarcirent: hoc est, in sum-

ptu

ptu exercebantur suo. Virgil. Ferrum exercebant: pro, in ferri fabrica exercebantur. An non hæc eruditi hominis declaratio illius verbi tibi Pomponi videtur? P O M P. Mihi sanè videtur. Nam quid potuit asserri aptius? Te verò Hermolæ valde amo, quem ne ista quidem præterierint. Sed perge ad reliqua. HERM. Pergam igitur ad illa, quæ sunt in eadem fabula:

Hunc cime erat æquum ex illius more, an illum ex huius viuere?

Et quòd illum insinulant durum, id non est:

Nam parentum iniuriæ vniuersi sunt feruè.

Scortari crebrò nolunt: nolunt crebrò conuiuari.

Quos extra versus eodem in margine pusillisq; literulis est & hoc, Virgilius:

Hunc cime te Euryale aspicio?

quo lecto animaduerti non tam bellè dici, Hunc ego te Euryale aspicio, quod est in libris omnibus, quam Hunc cime, quod in illo, P O M P. Rectè id quidem animaduersum abs te est Hermolæ. Illa enim interrogantis vox NE, dolori & querelis aptissima, quam repetit eodem versu Virgilius:

Tu ne illa senectæ

Sera meæ requies,

si desit prioribus ijs in verbis, quæ quidem verba eadem vi, eodem oris spiritu macroreque proferuntur, desit etiam egregia sensus & figuræ concinnitas, necesse est. Sed velim scire ex te, postquam hunc in locum sermo me perduxit tuus, ut de Euryali matris lamentatione loqueremur, existimes ne rectè illa dici, quæ de eo, qui paulò inferius est, versu attulit Seruius, Nec te tuæ funera mater

Produxi:

vt Funera sit pro funerea positū, ad mulieremq; referatur
 H E R M. An tu me tam ignarum Pomponi Virgiliani mo-
 ris, candoris atq; iudicij existimas, vt quod alibi nusquam
 legitur, credam à Poeta grauisimo nouandisq; verbis om-
 nium castissimo, hoc in loco fuisse dictum? mihi quidem non
 sit verisimile. Illi si erat, asferre eum oportebat exemplum
 aliquod, quo niteretur, asperitatemq; leniret verbi. Sed de
 illo haectenus. Mihi sic legendum videtur, si tibi vni probabi-
 tur: Nec te tua funere mater Produxi.

Quo in sensu atq; verbo nihil durum aut violētum, aut in-
 solens, sed summa etiā cum sermōnis tum consuetudinis ob-
 seruatio, summa lenitas atq; facilitas inest. Andoctos autem li-
 brarios, vt sunt pleriq; vicinitate deceptos puto possessiui
 nominis, Tua funera primū scripsisse, cum Funere scriptū
 legissent in eo, quem describebant ipsi libro, mendumq; esse
 existimauiſſent. P O M P. Mihi quidem ista Hermo!ac non
 probantur solum, sed magnas tibi etiam gratias ago, quod
 Virgilio restitueris hoc quoq; in loco & candorem & di-
 gnitatem suam, addo etiam & diligentiam: meq; nihil omni-
 no frustra abs te petere, valde gaudeo. Sed refer te ad Teren-
 tium tuum. H E R M. Sunt verò in eodem Heautontimoru-
 meno, quæ tibi explicem, & illa:

Scio quid feceris:

Sustulisti. S O S. sic est factum. C H R. dominus? S Y R.
 ergo herus damno auctus est. Et illa:

Quid malum? me etatem censes velle id aōsimularier?

Et illa:

Huius mihi res semper comminiscere,

Vbi me excarnifices. S Y R. Is hinc, quo dignus es.

Quo in loco videre est veteres homines indicandi verborū
 pro

pro Imperandi vsos modo. Is hinc, pro I hinc, vt etiam ali-
 bi non semel, Animo bono es, pro Esto. qua dicendi figura
 utitur sepe Cicero. Sed sunt & hæc eadem in fabula:

Quò mittis istam quæso? iube maneat. B A C. ij. S Y R.
 quin est paratum argentum.

Et paulò post:

Cape hoc argentum, ac deser. S Y R. ij. Quid stas lapis,
 quin accipis?

Vt videre liceat antiquorū in scribendo morem, qui ij, pro
 i dixerint, eo quo nos vtimur. Sunt & hæc:

Pergin' mulier odiosa esse? nullamne ego rem vnquam
 in vita mea

Volui, quin tu in ea mihi fueris aduorsatrix Sostrata?

Et paulò infra:

Subditum se suspicatur. C H R. Subditū? ain' tu? S O S.
 Certè sic erit mi vir. C H R.

Confitere tu? S O S. Au obsecro, istuc inimicis fiet.

Hæc autem, quæ tibi recensui Pomponi, quantū ab ijs diffe-
 rant quæ leguntur, tute faciliè perspicias cum tuum sumptu-
 ris librum: quanquam, vt video, iam perspicias. Sed volo te
 scire, plura esse quæ me fugerint (neq; enim reminisci pos-
 sum omnia) quam quæ recordor, quæq; asfero. Veruntamē
 hæc ipsa satis multa esse poterunt, vt videas, huic omnino
 Poetæ, qui quidem in hominū manibus valde frequens est,
 quantum caliginis offuderit dies. Sed ad eluendas aliarum
 fabularum maculas, vt possumus, deprauationesq; transe-
 amus. Itaq; memini me in Adelpbis legere hæc:

Natura tu illi pater es, consilijs ego.

D E M. Tun' consilijs quicquam? Et hæc:

Tu quòd te posterius purges hanc iniuriam mihi nolle

Est an esse, huius non faciam: crede hoc, ego mecum i. 4
persequar. Et illa:

Egon' debarchatus sum autem? an tu in me?

ESCH. Mitte istib' ec, atq; ad rem redi. Et illa:

Fratrem homini nemini esse primarum artium magis
principem.

SYR. O Ctesipho! CTE. O Syre, Eschinus ubi est? STR.

Ellum te expectat domi. CTE. Hem.

SYR. Quid est? CTE. Quid sit illius opera Syre nunc vi-
no, festiuum caput.

Qui omnia sibi post putarit esse pro meo comodo. Et illa:
Obscuro mea nutritrix quid nunc fiet? CANT. Quid fiat,
rogas?

Rectè adepol spero, modò dolores mea tu occipiunt pri-
mulum.

Iam num times, quasi nunquam adfueris, nunquam tute pe-
pereris? Et illa:

Fortiter. SYR. Perquam: quia miseram mulierem, &
me seruolum,

Qui referre non audebã, vicit: hui perfortiter. Et illa:
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita
putant,

Sibi fieri iniuriam, vtrò si quam fecere ipsi, expostul-
s, Et vtrò accusant: id quia nò est à me factũ, agis gratias.
Sed legi etiam in Phormione, si rectè memini, hæc inuersa
in alijs, vt mihi videntur libris:

Que si astu nò prouidetur, me aut herũ perfundalunt.
Nam nò potest celari nostra diutius audacia. Tũ et hæc:
Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hinc onero
pallio. Et hæc.

Familia-

Familiarē oportet esse hunc, qui mimitatur malum. Sed
is ne est

Quem quero, an non? Ipsus est, congregere actutum.

ANT. Quid. GE. Omnium quantũ est, qui viuũt, ho-
mo hominum honoratissime.

Denum hoc:

Vel oculum exculpe: est ubi vos vlciscar probè.
Restat Hecyra, cuius item, vt Phormionis, non omnino mul-
ta mihi in mentè veniũt è re nata nunc quidem, quæ aliter se
habeant illo in libro: sed veniunt tamè, atq; vt opinor, hæc:

Quid ais? cum virgine vnà adulescens cubuerit
Plus potus, sese illa abstinere vt potuerit? Et hæc:
Aedepol ne nos sumus iniquè æquè omnino omnes inuisæ
viris. Item hæc:

Nam nos omnes, quib. est alicũde aliquis obiectus labor,
Omne quod est interea tempus, priusquã id rescitumst,
lucrost. Atq; hæc:

Sanè hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multum hæredem
adiuant:

Sibi verò hanc laudem relinquũt, vixit, dum vixit, bene.
Postquam hæc:

Vosmet videte iam Laches & tu Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, an reducta domum.
Neutra in re vobis difficultas à me erit.

Sed quid faciemus puero?
Quo in loco animaduerti, hunc dicendi siue morem, siue fi-
guram, Quid faciemus puero? qua etiam alijs in fabulis sæ-
pe est vsus, Quid hic faciet sua? Quid te futurum cen-
ses? vsurpasse Ciceronem sanè percupidè. Quid me fiet?

Quid pecunia fiet? Quid hoc homine facias? Quid factum est Stratone et Nicostrato? Quem admodum alia permulta: ut facile cum appareat ad Terentij sermonem, suam libenter sermonem accommodauisse. Quod si hic etiam faciet Phœdrus, ut quemadmodum ab Apelle ij, qui post illum pingendi artem asssequi cupierūt, multas umbrarū eius et luminum positiones, multos membrorum motus in suas ex eius imaginibus tabulas simulachraq; transferebant, sic ipse huius Poete plurimos dicendi modos sermonisq; figuras & lumina, suis in scriptis expresserit, non vereor quin multo sit facilius in magnū illum virum euasurus, quem adhuc quidem nostra ætas desiderat, multaq; supra eam frustra videre concupiuerunt. Quamquam quidem non puto ipsum meis monitis & præceptis egere, qui te magistrum habeat, cuius de pleno fonte cum hæc, tum longè meliora haurire quotidie possit. Sed quoniā iam aduesperascit, vel hora ipsa, vel tua ætas me admonet, ne te hic diutius detineam. Quæ cum essent dicta, sine loquendi facto, illi domū abierunt, Hermolaus in cubiculum se recepit.

ANNOTATIONVM PETRI BEM-
BI IN CVLICEM GILII ET
Terentij fabulas,

IN BEMBVM.

Tu quoq; virgilio certabas BEMBE Latino,
Magnanimū Heroum carmine facta canens.
Audijt, & Musæ captos dulcedine Thufcos,
Ad citbarum uersus condere iussit amor.

Nos nescire loqui magis placuitum est,
Qui Grammatice & dantibus Latine
Studi tenentur, & curant.
Quædam sunt & similia Latina.
Hac uti ut valeas, tibi videndum est:
Ne dum marmoreas remota in ora
Sumpiu construis & labore villas,
Domi te calamo tegas palustri.

BENACVS.

TE Giberte cano, purus dum templa sacerdos
Ingreditur, cupioq; tuas attingere laudes,
Sit modo non impar tanto sub pondere, quæ me
Musa vocat: nec eam ventura redarguat ætas,
Obscuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum breuibūs voluisse intexere chartis.
Nuncius ut vitreas Benaci vectus ad vndas,
Muscoso subter pendentia fornice tecta,
Atq; Dei letis impleuit vocibus aures,

Reddebant: sol æstiuos circumuagus orbes
 Axe terens medio currum librabat olympo.
 Ergo auidis allata Deus postquam auribus hausit,
 Promissosq; olim fatis sibi letus honores
 Agnouit, tangens hærentem vligine barbam,
 Demulcensq; manu iussit vicina vocari
 Flumina: dein sese placidum conuexa sub alta
 Spelunca senior solitaq; in sede recepit.
 Postera iam caelo stellas noctemq; fugarat,
 Lustrabatq; dies multo terrasq; fretumq;
 Lumine, cum nitidis venit Ticinus in vndis,
 Piscosusq; altis inuoluens Lambrus arenas.
 Venit & indigenis fecundans Ollius arua
 Deductus riuus, & cultos Abdua campos
 Amne secans, fuluo ripasq; interlitus auro.
 Nec rapidus fluvius, aut fluvius, aut fluvius
 Desiit, aut Pat qui circumq; intraq; perre
 Moenibus, Moenibus, Moenibus, Moenibus
 Moenibus, Moenibus, Moenibus, Moenibus
 Musarum, Musarum, Musarum, Musarum
 Populi, Populi, Populi, Populi
 Ipse suo acc, Ipse suo acc, Ipse suo acc
 Vbera, Vbera, Vbera, Vbera
 Porta, Porta, Porta, Porta
 Quos, Quos, Quos, Quos
 Mintius, Mintius, Mintius, Mintius

Obuius,

Obuius, atq; in tecta parentis saxea duxit,
 Latifico cordis non celans gaudia vultu.
 Quos, Quos, Quos, Quos
 Crymæ rigida fultis, & lasside glauca,
 Continuo Nymphæ mensas ante ora Deorum,
 Speluncæ in medio niueis mantilibus aptè
 Consternunt, dapibusq; onerant, Dictæaq; plena
 Vina ferunt referuntq; manu, calicesq; madentes
 Præcingunt myrto, atq; implexis flore coronis,
 Purpureoq; rosæ, Medorumq; arboris albo:
 Medorum quondam, sed quæ nunc plurima læta
 Benaci vestit ripas, non illa caduca
 Fronde virens, suauiq; auras permulcet odore.
 Post vbi prima quies epulis, Deus ipse magister
 Vndi fragi domitorq; lacus, præsentia circum
 Numina respiciens, his vocibus ora resoluit:
 Quod votis toties nequicquam optauimus vnum
 Vobiscum Diui, fausto modo spondere luces,
 Vertentes lucas fatorum orbisq; ministræ,
 Aduexere: vehit pleno bona copta cornu,
 Largaq; pomifera prætendit munera dextra.
 Quare vos primo longæui à semine mundi,
 In mare fluctisonum prono labentia cursu,
 Voluite maiores vagâ flumina, voluite Lymphas.
 Flos etenim iuuenem, longa formidinè scela
 Peritæ qui soluat, quiq; agglomerata malorum
 Agmina torbelliq; fâces, quas vidimus ipsi,
 Bactra ultra, Thylemq; ultra, Scythiamq; releget,
 Quiq; vrbes, quiq; arua colat, Ioue missus ab ipso est.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.

Hic primam miseris viduatas ciuibus vrbes
 Accipiens, vacuosq; suis cultoribus agros,
 Replebit numerum exæquans augensq; priorem:
 Oppid. q; ingenti multum quassata ruina,
 Prostratisq; solo latè moerentia tectis,
 Restituet, pulchroq; dabit splendescere vultu.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Magno nanq; pij iuuenis deuinctus amore
 Hetruscus pater, excelsas qui Tybridis arces
 Possidet, & nutu Romanum temperat orbem,
 Illius eximias virtutes, claraq; docti
 Ingenij monumenta, & sancti pectoris artes
 Suspiciens, obitosq; inuicto corde labores,
 Hoc dedit, has illi rerum permisit habenas.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Quid memorem vt tener & primæ sub flore iuuentæ
 Ingentem ad ludum properauerit auspicius Dis:
 Indole dein quanta mixus, quàm fortibus ausis,
 Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
 Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,
 Sic vndas rerum excipiens, & plena pericli
 Multa diu casus victos superauerit omnes. al' uictor
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini
 Versantem, luctantis equi cum frangeret armos,
 Precipitansq; viam obstrueret torrentibus imber,
 Pœninas vel per fauces tractusq; volante
 Aerios, summo miseratæ è vertice Nymphæ
 Optauere graues cohiberent nubila nimbos.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.

Sæpe

Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti,
 Astitit vnigena proles Iouis, vt bona mater:
 Vt mater bona, quæ charo timet omnia nato,
 Et cupit in duros comitem sese addere casus.
 Tum pueri mirata oculos & verba loquentis,
 Ipse meas arteis iam nunc tibi, dixit, habeto.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Testis adest triplices magnas discreta per oras,
 Fluuiorum, nemorumq; ferax, pecudumq; virumq;
 Gallia, non auri, pietæ non indiga vestis:
 Diuersosq; iugo ad ventos interq; cadentem
 Surgentemq; diem longo protenta Pyrene,
 Altis quæ geminas despectat frontibus vndas.
 Tum dictis factisq; potens illa inclyta bello,
 Lataq; & in latis Hispania disita terras.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Hæ nam te insolita orantem, auersasq; suorum
 Flecentem regum mentes Giberte videbant,
 Acceptos conuersa sonos cum vocis imago
 Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Testis & Adriacus, paruo qui flumine Rhænus
 Lambit humum: testis Thuscis haud maximus vndis,
 Maior prole virum, & diuinos Armis honores
 Promeritus, cœlum diuisq; recentibus augens,
 Pulchros qui colles, pulchramq; interfecat urbem:
 Gens quorum imperio dispar, nec legibus æqua,
 Illius in studijs iam dudum & amore quiescit.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Tu verò tu Roma tui genus ecquod alumni,

Lll

Iam non curarum, non commemorare laborum
 Vna potes: tolle egregium per secula nomen,
 Tolle decus, daq; alta virum volitare per ora.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Quantum Trinacriæ vertex se sustulit Actiæ,
 Aut cinctus stellis Atlas, aut Caucasus ingens,
 Tantum clara virum Romæ se nomina tollunt.
 Illa novos tibi cælestum concessit honores
 Antiquis cumulans: at tu præsentia secla
 Firmabis, veterumq; abolebis damna malorum.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Ecce tibi leto vestit se gramine tellus,
 Et tibi solua comas nutrit: tibi pabula surgunt:
 Fœcundus mites implet tibi pampinus vuas,
 Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
 Tum spisso quem rete trahant vel harundine longa,
 Flexiuagus nostris crescit tibi piscis in vndis.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Accipe quæ tibi Parnasi de colle sorores
 Dona ferunt, sacrum Lauri de fronde coronam,
 Et plectrû, & citharam, scriptasq; ab Apolline chartas,
 Aeternam quas ediscant, celebrentq; minores.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Ut Phœbo, vtq; Ioui confectis Græcia lustris
 Sacra olim & pleno posuit certamina campo,
 Sacra tibi, ludosq; tibi sic Itala tellus
 Instituit, sic illa tuo de nomine dicet.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Accipe quæ calathis porgunt tibi munera Nymphæ,
 Luteolum calthæ florem, castanq; virentem,

Liliaq;

Liliaq; violasq; & purpureos hyacinthos.
 Haud porxisse prius poterant: bella horrida bella
 Pertulimus, dulces & deformauius agros.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 Ut cum letiferos accendit Syrius ignes,
 Riuus aquas, hortus flores, pratum inuidet herbas:
 Pallat humi nullo facies depicta colore:
 Ipsa suos sitiens fœtus non educat arbos:
 Intereunt fruges siliqua labente perusta:
 Arua colit nemo ficcis ærentia glebis,
 Vomeres & durum non admittentia dentem:
 Cuncta iacent nimio cæli contusa calore:
 Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 At postquam Letos effudit Iuppiter imbres,
 Riuus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas:
 Ipsa viret tellus: ripe collesq; nitefcunt:
 Dant segetem sulci: nemus altas sufficit umbras:
 Poma suos curuant crescentia pondere ramos:
 Ruris turba deam venerata ligonibus vdam
 Vertit humum, & putres exercet vomere campos:
 Cuncta vigent cæli fœcundis roribus aucta:
 Nostras sic iucunda manent nunc omnia terras.
 Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
 At vos in septem discreti culmina montes,
 Tuq; pater Tyberine, tuum qui flumen Olympo
 Deuchis, hunc olim vobis multosq; per annos
 Sit satis o tenuisse: meam mihi iam date partem:
 Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola:
 Et tandem nostris iuuenem concedite terris,

Lil 2

PRO GORITIO VOTVM AD

Deos, quibus ædiculam ex-
dificauerat.

SANCTA, quibus propriam posuit Goritius aram
Numina, perpetuosq; are sacravit honores,
Humani columnen generis, diuina puella,
Ipse sibi legit summi quam rector olympi,
Et tu diuina genitrix augusta puellæ,
Felix sorte tua, felix nata atq; nepote,
Aethereiq; puer magnum patris incrementum,
Arte boni quos egregia cœloq; Sauiui
Spectari, Pario et spirare in marmore fecit,
Hac vos pro pietate illi, pro munere tali
Reddite, si sacrorum vnquam pia carmina vatum,
Et castæ mouere preces cœlestia corda,
Reddite quæ posco, mea nec sint irrita vota:
Vt quos longa dies miseris mortalibus olim
Aduectat varios senio veniente labores,
Aegrum animum, et segnes effæto in corpore sensus,
Inq; solum pronos vultus, nixisq; bacillum
Poplitibus, tardosq; gradus, tremebundaq; membra,
Tum crebras lachrymis causas, et dura suorum
Funera, et euerfos mutata sorte penates,
Quæq; alia ex alijs passim mala consernatas
Implerunt terras cupidi post furta Promethei:
Horum ille immunis totos centum expleat annos,
Auspicijs superi vestris, et numine vestro
Integer, vt nunc est, nec longæ damna senectæ
Sentiat: et charus patriæ, iucundus amicis,
Diues opum, Roma incolumi Latioq; fruatur.

HYMNVS

HYMNVS AD DIVVM

Stephanum.

NAM quæ te culpæ et sceleris tam dira cupido
Infelix Solyme, et seclis damnanda futuris
Corripuit: tantas aut quis furor egit in iras?
Vt iuuenem patris aetherei præcepta canentem
Dicta tibi, et veterum referantem oracula vatum
Præstanti eloquio, teq; ad meliora vocantem,
Compita per mediasq; vias è moenibus vrbis
Illusum expulseris: tum cæca perdita mente
Concursum pressum ingenti, saxisq; petitem,
Nudatos artus, ceu quondam grandine densa
Iupiter ingeminans terram quatit æthere ab alto,
Crudelis leto dederis nil tale merentem?
Ille quidem placido sustollens lumina vultu,
Lustrabatq; oculis cœlum, intrepidusq; pericli
Laudabat superos, et spe sua damna leuabat:
Cui se, quantum erat, manifesta in luce videndum
Ipse pater Diuum dederat cum compare nato
Sublimis, medioq; illi fulgebat olympo.
Quin etiam extremo cum iam sub fine laborum
Disiectus duro frontem et caua tempora nimbo,
Iret iter propius leti, tamen hostibus ipsis
Pro scelere immuni moriens, pro talibus ausis,
Ah veniam superos anima fugiente rogabat:
Placabat superos hosti iam frigida lingua.
Salue bis senis lectus parère magistris,
Macte animo puer egregio et præstantibus ausis,
Macte nece, et veris magnum decus addite Diuis.
Tu princeps ignominiam, plagasq; cruentas,

LII 3

Et longum memoranda nepotibus aspera fata
 Magni mihi post Herois, quem candida partu
 Cœlicolum regi tecto sub paupere Nympha,
 Non ullam Venerem, nullos experta hymenæos,
 Ediderat patrij flauus Iordanis ad vndas,
 Testis ades facti; sacro tu primus ab illis
 Sanguine palmiferae terram conspergis Idumes:
 Et pulchræ insolitos decerpens laudis honores
 Purpurea gaudes frontem cinxisse corona:
 Vnde tibi grati nomen dixere minores.
 Te colimus: certo tibi tempore sacra quotannis
 Rite damus, & thura tuis imponimus aris.
 Quod si vlla ô votisq; hominum precibusq; mouentur
 Numina, nec cunctis adeo stat perdere Diuis
 Ausoniam, populosq; Italos, nomenq; Latinum,
 Atq; malis propè iam confectæ mœnia Romæ,
 Sancte veni, cœtusq; tuos, tuaq; aurea templa,
 Læti quæ festa velamus fronde per vrbes,
 Dexter adi, placidusq; animis illabere nostris:
 Ac primum miseris bellorum & cædis amorem
 Da pater exuere, & tercentum mittere in annos
 Tigrimq; Tanaimq; vltra, & post ferre quietem
 Sollicitos populi fasces, adictaq; regnis
 Regna super, validoq; vndantia milite castra,
 Et pacem venerari, & mitia vertere duris:
 Dein pestes scelerum tantorum, atq; agmine longo
 Multa odij concreta modis mala semina diris,
 Infestasq; diu labes, & crimina purga
 Hæu solito grauiora, irasq; auerte Deorum,

ARMIL

ARMILLA AVREA LVCRETIAE
 Borgiæ Ferrariæ ducis, in serpentis
 effigiem formata.

DYPSAS erant: sum facta, Tago dum perluor, aurum
 Tortile Nympharum manibus decus: at memor olim
 Eridani, auditq; tua Lucretia forma,
 Eliadum ne te caperent electra tuarum,
 Gestandum charæ fluuius transmisit alumne.

DE IVLIO PVERO QVI SEI-
 psum pinxerat in tabula.

VT sol, cum placidis semet depingit in vndis,
 A te sic ipso pictæ puellæ nicas.

PEGASVS EQVVS PATER-
 num insigne.

GRAECIA cum celeres mihi Dædala fingeret alas,
 Esse homines vobis dixit in astra viam.

CVM CEREIS ALBIS DONO
 missis Bernardo Monacho.

VIVAT in Euganea reliquum tibi lumen oliuæ,
 Cera sed in sacris luceat alba tuis.

CAMINO INSCRIPTVM.

HANC nisi Phœbeo rapuisset ab orbe Prometheus,
 Ars homini flammæ nulla nec vsus erat.

LII 4

COSMVS ANYSIVS AD PE-
trum Bembum.

MI BEMBE, quando tam sumus pauci,
Canant Camœnæ, gratulemur inuicem
Nobis, & incitemus animos nobiles
Virtutis excellentis alta ad culmina,
Ne prorsus Helicon destitutus artibus
Pulchris, iniquo numine, amittat decus
Nomenq; nostrum ò seculum insulsissimum
Quod centum Homeros aut Marones æstimet
Vilis teruntij, per interest parum
Oppedere aut cantare surdis auribus,
Portenta quæ auertantur infelicibus
Lignis, & vndis abluantur Tartari.

TVMVLI, ET RELIQUA.

POLITIANI TVMVLVS.

DVCERET extincto cum mors Laurente triumphum,
Lataq; pullatis inueheretur equis,
Respicit insano ferientem pollice chordas,
Viscera singultu concutiente virum.
Mirata est, tenuitq; iugum: furit ipse, pioq;
Laurentem cunctos flagitat ore Deos.
Miscebat precibus lachrymas, lachrymisq; dolorem,
Verba ministrabat liberiora dolor.
Risit, & antiquæ non inmemor illa querelæ,
Orphi Tartaræ cum patuere viæ,
Hic etiam infernas tentat rescindere leges,
Fertq; suas, dixit, in mea iura manus.

Protinus

Protinus & flentem percussit dura Poetam,
Rupit & in medio pectora docta sono.
Heu sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt,
Arbiter Ausoniæ Politiane Lyre.

GALLI EPITAPHIVM.

O FATIS nimium duris exercita Roma,
Ten' decuit toties vltima damna pati?
Ille tuus sanguis Gallus, tua magna voluptas,
Gallus Aucntini gloria prima soli:
Gallus Musarum & Phœbi gratissimus hospes,
Donauit cithara quem pater ipse sua:
Et cinxere Deæ lauro, & dixere Poetam
Melpomeneq; suum, Calliopeq; suum:
Cui lex, & bene suadus honos, rectiq; cupido,
Et probitas cordi simplicitasq; fuit.
Candida cui ridebat hianti copia cornu,
Et faciles Nymphæ, semicaperq; Deus.
Mater & in canos spicis cuiuncta capillos
Implebat letis mensibus arua Ceres:
Cui Nar sulfureus, nigra cui Farfærus vnda,
Et qui Roma tuas Fucinus auxit aquas,
Atq; Almo, atq; Anio, Tybrisq;, paterq; Numicus
Flumina iusserunt largius ire sua:
Delitiæ mea Roma tuæ, lususq;, leporq;
Et spes, & senij remus & aura tui,
Gallus, per quem oblita tuorum es antè malorum,
Occidit: heu sine amore, & sine lege Deos.

LII 5

I V L I I S E C V N D I P O N T I F I C A T U S M A X I M U S .

ILL A pijs populis mundoq; accepta recenti,
 Sub Ioue cum nondum ferreus orbis erat,
 Nec proficissa graues vertebant arua iuueni,
 Vineæ nec lachrymas falce resecta dabat:
 Mella sed aeris subdabant roscida syluæ,
 Et lac pro gelida flumen habebat aqua.
 Nunc ô nunc redit ad primos bona quercus honores,
 Quos habuit, mundi cum tener orbis erat,
 Quercus glande sua quæ quondam Heroas alebat,
 Cura Deum Quercus sancta, piùmq; nemus,
 Dignaq; Cecropiæ pinguis cui sylua Mineruæ
 Cedat, & Herculeis populus apta comis:
 Cedat & ipsa suo laurus Phœbeia lûco,
 Inflexæq; pedem Bacchica ferta hederæ,
 Vel myrti Veneris, vel Syluani cyparissi,
 Vel quæ capripedi pinus amata Deo est.
 Nanq; boni mores nostro redire sub æuo,
 Vt primum posito constitit illa situ:
 Simplicitasq; inculta comam, rectiq; cupido,
 Et lex, & probitas, & sine labe fides.
 Nec redit ad primos tantum bona quercus honores,
 Quos habuit mundi cum tener orbis erat:
 Sed prouecta solo nitidis caput inserit astris,
 Quantum homines aluit, tantum alitura Deos.

C A R O L I B E M B I F R A T R I S E P I T A P H I U M .

Q V A L I S h o n o r s c æ l i , p u r o c u m s u r g i t O l y m p o
 Lucifer

Lucifer, & fessis clarum caput excrit astris:
 Tale decus te Bembe tuis mala fata tulerunt:
 H E R C V L I S S T R O Z Z A E
 Epitaphium.

T E r i p a n a t u m E r i d a n i P e r m e s s u s a l e b a t ,
 Fecerat & vatem Marsq; Venusq; suum.
 Iniecre manus iuueni, & fatalia duris
 Stamina pollicibus persecuere Deæ.
 Vxor honorata manes dum conderet urna,
 Taliæ cum multis dicta dedit lachrymis:
 Non potui tecum dulcem consumere vitam:
 At iam adero amplexans te cinerem ipsa cinis.

M A R C I A N T O N I I G A B R I E L I S V e n e t i E p i t a p h i u m .

D E M E S S A M p a t r i æ s e g e t e m c r e s c e n t i b u s h e r b i s
 Morte tua venerande puer, specimenq; relinquis
 Præreptum genti morum & virtutis auitæ,
 Te Patavi colles, vitrea te Silis in vnda,
 Te Veneti fleuere lacus, terq; Hadria vastum
 Impleuit gemitu mœrens & questibus æquor.

P H I L I P P I B E R O A L D I M I N O R I S E P I T A P H I U M .

F E L S I N A t e g e n u i t , c o l l e s r a p u e r e Q u i r i n i ,
 Longum audita quibus Musa diserta tua est.
 Illa dedit rerum domino placuisse Leoni,
 Thebanos Latio dum canis ore modos.
 Vnanimes raptum ante diem fleuere sodales:
 Nec Decimo sanctæ non maduere genæ.

Quæ pietas Beroalde fuit tua, credere verum est
Carmina nunc cæli te canere ad citharam.

SCYTHAE P O E T A E F E L
trini Epitaphium.

SCYTHAE oculos clausit Phœbus, fleuere sorores:
Fleuerunt Charites, funera duxit Amor.

C E R T A L D I P H I L O S O P H I
Epitaphium.

ET terram, & cœlum ingenio Certaldus obibam,
Quæq; fuere alijs clausa, reclusa mihi.

L O N G O L I I E P I T A P H I V M .

T E iuuenem rapuere Deæ, fatalia nentes
Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo
Longoli, tibi st canos seniumq; dedissent.

L E O N I C I E P I T A P H I V M .

N A T V R A E si quid rerum te fortè latebat,
Id legis in magno nunc Leonice Deo.

T E L E S I L L A E E P I T A P H I V M .

~~Quæ pietas Beroalde fuit tua, credere verum est
Carmina nunc cæli te canere ad citharam.~~
Nunquid me miserum te quoq; tangit amor?

C A T E L L I E P I T A P H I V M .

N I L tibi non dominus tribuit Bembine catelle,
A quo nomen habes, & tumulum, & lachrymas.

F I C T V M P R O A N T I Q V O .

A E L I A natorum manesq; sequuta mariti,
Vsa sua iacet hic Septimiana manu.
Vir Turrinus erat, cum quo tria lustra peregit,

Iurgiq;

~~Quæ pietas Beroalde fuit tua, credere verum est
Carmina nunc cæli te canere ad citharam.~~
Binaq; de primo suscepit pignora partu,
Dein natam matris spemq; metumq; suæ.
Crudeles diui, proles adoleuerat, at mors
Inicit tetricas peruiolenta manus.
Post quæ mœrentem, ne quid superesset amanti,
Abstulit orbatæ proxima luna virum:
Quem simulac flamma vidit lambente cremari,
Ergo ibis, tecum nec tua, dixit, erit?
Eripies mihi tu nunquam hoc fortuna: licebit
Hoc saltem inuita te potuisse mihi.
Dixerat, & stricto fixit sua pectora ferro:
Sic moriens charo nunc quoq; iuncta viro est.

I A C O B I S Y N C E R I S A N N A
zari Epitaphium.

D A sacro cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus Musæ proximus vt tumulo.

L V C I L I I B E M B I F I L I I
Epitaphium.

O M V L T V M dilecte puer, quæ dura parenti
Fortuna inuidit te superesse tuo?
Quam producebam letus te sospite vitam,
Erepto peior morte relicta mihi est.

IN PETRI BEMBI

CARDINALIS MORTEM

A C C L A V D E M:

E C L O G A E T R E S I N C E R T I

A V T O R I S:

A R G V M E N T V M.

HAEC ECLOGA illustrissimi & reuerendissimi
Cardinalis BEMBI obitus, sub Melibœi persona desce-
ditur ab eximio viro Carolo Gu. alterutio, qui illum vnicè di-
lexit & obseruauit: & Lycide nomine intelligitur. Hunc
prudentissimè simul & religiosè consolatur vir integerrim-
us ALOISIVS Priolus, quem per Amyntan intelligi
Poeta voluit.

M E L I B O E V S.

Amyntas & Lycidas.

AMY. EN vitrei Lycida fontes, vmbraeq; salubres,
En virides pinus, violisq; nitentia prata.
En quos saepe tuo lusu celebrare recessus,
Quæ mulcere nouo suetus nemora auiæ cantu.
Hic te certantem Satyrorum effrena iuuentus,
Te Dryades Nymphæ, te Naiades admiratæ:
Panq; ipse, argutis resonant cui Mœnala syluis.
Vt siluit tua Musa, horrent deformia prata.
Quiq; prius vmbra lucus præbebat opacas,
Idem formosis viduatus frondibus aret.
Fontis & exhausti liquidas sol igneus undas.
Eloquar an silicam, quæ tanti causa doloris?
Aut mea quid cesset taciturnis fistula syluis?
LYC. Ille heu, ille vnus quondam mihi charus Amynta,

Qui

Qui dum Aurora rotas Eois tolleret undis,
Mecum vnâ in vacuos saltus armenta solebat
Ducere: nunc cheu fâto est ereptus acerbo.
Ille per Vrobios montes, vallesq; reductas,
Ille per Hetruscas rupes, atq; auiæ saxa,
Ille per Eugancas cantu celeberrimus oras.
Illum etiam Latij montes, & frigidus Almo
Obstupuit, medianq; secat qui Lydius vrbeni
Tybris, & auratæ prætentat cornua frontis.
Tantus honos doctæ vocis, tam sancta verendi
Mactas oris, tot honesti pectoris artes.
Hinc dare suetus erat armenti iura magistris,
Ruricolumq; vnus mactas sedare querelas.
Hic, quum sol primo lustraret lumine terras,
Et medio persæpe die, quum Syrius arua
Vreret, & valido gerneret grauis arca pulsu,
Vel fesso Hesperium curru properarci in æquor,
Mollibus in ripis, muscosi fontis ad undam,
Et viridis vacua salicis proiectus in vmbra,
Pastores blanda mulcere solebat auena,
Et ritæ abductos ad pacis dona vocare.
Huius ad inferias, & finus mactas senile,
Alma Venus luxit, parui luxistis Amores.
Ipse faces, arcusq; suos, ac tela Cupido,
Et pharetram amissis abiicit flebilis alis.
Te merens fleuit pastor, te durus arator,
Te mactas extinctum Dryades, tristisq; Napææ,
Te fragiles coryli, atq; ipse fleuerem Myricæ,
Non aliter quàm si nuicnem te fâta tulissent.
Sed felix Melibœæ vale, multosq; per annos
Ossa beana precor tuta requiescite in vrna.

AMY. Magna quidem fateor Lycida est tibi causa dolendi,
 Si quantum Euganeis, quantum Laurentibus aruis,
 Præsidium abstulerint superi, atq; inmitia fæta,
 Tecum agites. Contrà memori si mente volutes,
 Quàm blando semper diuumq; hominumq; fæuore,
 Omnia mature complerit munia vite,
 Quæ tandem inuidia est, umbras, & inania vota
 Si fugiens alios demum secessit in orbes?
 Si tenet Elysios campos, sedesq; beatas?
 Atq; inter sylvas & amœna vircta vagatur?
 Hic, vbi cœlestis concentus æra mulcent,
 Et mille arguto decurrunt murmure riui,
 Fertq; rosas inculta seges, fert vndiq; flores.
 Non illic litui, non Martia classica, possunt
 Aeternam placidæ mentis turbare quietem:
 Hinc & luxuries, & habendi insana cupido,
 Et metus omnis abest: at adest sincera voluptas,
 At segura quies, at fraudum nescia corda.
 Felix ô Melibœæ nouum decus addite diuis,
 Sub pedibus nubes, atq; ignea sydera letus
 Miraris, spectans maria alta tumescere ventis,
 Pendeat utq; ingens æquo discrimine mundus.
 Tum nos, & tua rura simul pater optime cernis.
 Ex alto nostros cœlo miserate labores,
 Ante Dei solium magni non vana precaris.
 Ergo tuos demens Lycida iam desine questus,
 Nec mœstis comple frustra clamoribus auras:
 Sed tumulus vernis niteat, violisq; rosisq;
 Et fluat in cineres nardus, nec desit amomum,
 Assyrio stillet venerabilis vrna liquore,

Aeternæ

Aeternumq; madens, Panchæis mercibus halet.
 Nos, quoniam tacitis properat nox atra quadrigis,
 Et sol Hesperio iam mergit æquore currus,
 Securum pastas pecudes in ouile vocemus.

M E N A L C A S .

A R G V M E N T V M .

HIERONYMVM Quirinū Ismerij F. apprimè nobilem, BEMBVS Cardinalis ita dilexit, vt cum moriens, & in secundis hæredibus scripserit, & testamenti sui executores esse voluerit. Hic funeri interfuisse fingitur, & quas in confessu grauisimorum hominum lachrymas continuerat, eas peractis exequijs secedens, fundere sub Thyrsidis persona inducitur: vbi & quàm vanæ sint hominum spes, ostenditur: & BEMBVS sub Menalcæ persona, copiosè atq; ornatè laudatur: simul & de statua, quam idem Quirinus illi Patauij erigendam curauit, & de monumentis, quæ extructurus est, mentio habetur.

M E N A L C A S .

EXTINCTVM Thyrsis Hetrusci ad Tybridis vndam,
 Insignem quondam numeris & voce Menalcam
 Spectarat: gemitumq; premens, mœrebat inani
 Luctu, non ausus tristis effundere questus,
 Dum lux, & sacræ prohibet reuerentia pompæ.
 Mox vbi paulatim densis adoperta tenebris
 Accessit, mouitq; atros nox humida currus,
 Tristibus inferijs, & iustis ritè peractis,
 Iam pubes dilapsa vago pede discesserunt:
 Ille vnus nemorum procul in secreta recedens,
 Astitit ad sacri fontis caput, vdaq; tollens

M m m

Lumina, & intendens geminas ad sidera palmas:
En, ait, hic nostros memorare impune dolores
Iam licet, & longos lachrymarum effundere riuos.

Tú ne igitur terris, tu nuper adempte Menalca,
Mí sine sole diem, sine luna, & lumine noctes
Liquisti, & densis cuncta heu loca plena tenebris
Nec mihi iam blandos vultus, nec docta licebit
Tempora mirari sacris redimita corymbis?
Nec te audire olim sola sub rupe canentem
Carmina, queis tu etiam tigres, & euasq; leonas,
Suétus eras mulcere noua dulcedine vocis.
Non ego te posthac per florea rura vagantem
Aspiciam, vel cum nigris sol surgit ab Indis,
Hesperias vel cum pronis descendere in vndas
Horret equis, vel cum properans nox humida cælo
Præcipitat, mollesq; inuitant sidera somnos.
Nam quæ te seuo clauserunt funera somno?
Tristia nam quæ te fata absumpsere Menalca?
Cur non crudeles diuos, crudelia mœstus
Astra vocem, assiduus fundens è pectore questus:
Et complere parem tristi nemora auia fletus
Ab dolor, ab moriens rupisti gaudia nostra:
Iam mihi sola super miserandæ tædia vitæ:
Iam requies ablata omnis: tua funera tristis,
Heu nobis, vrbicq; simul liquere dolores.
Præsidiumq; decusq; tuis, tu magne Menalca
Solutus eras, solus vita mihi chaotic ipsa.
Tu sacros fundens latices, tu plena quotannis
Pocula bina Pali statuens, armenta, gregesq;
Lustrabas charus diuis: pecuaria per te

Creuere, & nullo senserunt tempore morbos.
Tu Musis flores, & ferta virentia Phœbo
Largitus, sic & Musis, & Apolline semper
Plenus eras: vt qui certasset carmine tecum,
Idem ille ex omni certamine victus abiit.
Ergo te montes, & flumina nota, magistrum
Pastorum optabant, Latios quicumque per agros,
Acriasq; alpes, pascunt & Celtica rura,
Quiq; Istrumq; Albimq; bibunt, Rhenumq; bicornem.
Serta Pales, atq; alma Themis tibi terna parabant.
Ipse pedum iam num tibi Pan Tegæus eburnum
Fecerunt, & medium fuluo distinxerat auro.

O me felicem, si te ad fastigia summi
Pastoris vidisse mihi mea fata dedissent,
Cum tu iam felix, & iam Dijs proximus ipsis
Astares, totusq; tuo gauderet honore
Orbis, & augustis supplex daret oscula plantis.
Et tu pacifera frontem redimitus oliua,
Diffundens almæ pacis pia munera terris,
Solis ab occasu, spectares solis ad ortum
Sub pedibus iam euncta tuis vertiq; regiq;
Aureaq; antiquæ renouares secula vitæ.
Vt dura aerio manarent robora melle,
Nectarisq; & niueo spumarent flumina lacte,
Et ferret tellus fruges sine vomeris vsu.

Sed spes, & mea vota, leues quando irrita venti
Spargunt, & cœli per inania nubila iactant:
Tu saltem decus obscuræ Latonia noctis,
Et vos quæ tacito labentia sidera cursu,
Aeternum signis per secula voluitis annum,

Aridaq; aerijs renouatis voribus arua,
 Dum querimur, casus oro miserecrite nostri,
 Lucidaq; obscuris obducite nubibus ora.
 Me miserum, posthac solus per lustra vagabor,
 Et notas vrbes, populos, lucemq; perosus,
 Semper mœsta tua relegam tibi carmina morte,
 Et flebo casumq; tuum, & tua fata Menalca.
 Quem grauis vndisono suspirans Adria tractu,
 Quem mecum obducta turbatus fronte Metaurus,
 Quem Tybris pater, atq; Arnus, quem lucidus amnis
 Mincius, & fracta Meduacus arundine fleuit.
 Fleuit & effracta lugubris Serius vrna,
 Cuius mille greges, armenta q; pingua pastor
 Mollibus è stabulis ad pascua leta vocabat,
 Quæ senior docto liquit pascenda Myconi.
 Fleuerunt niuei circum caua flumina cygni:
 Creuerunt lachrymis vndæ, creuere fluenta,
 Nec iam mœrentes solitus capit alueus amnes.
 Quin arbusa prius caelo tendentia ramos,
 Nunc grauidum mœsto caput acclinata dolore
 Squallent, ceu tristi de caelo fulgure tacta.
 Ipsæ non syluæ frondes, non pascua colles,
 Non campi segetes tulerunt, non pampinus vuas,
 Et flos destituit languentes aridus herbas:
 Destituere sui morientia prata colores:
 Quæq; prius dulci complebant omnia cantu,
 Demissis mœstæ pennis siluere volucres.
 Verum etiam fama est, fractis fornacibus Aetnam
 Flammarum vomuisse globos, atrasq; fauillas:
 Aetnam, quam fertur puer accoluisse Menalca,

Dum

Dum cupidus Graiæ discit noua sibila canne,
 Atq; Aetnea suo permulcet carnine saxa.
 Adde, quòd in syluis miris simulachra figuris
 Visa indefectis implerunt saxa querelis.
 Sed quid ego hæc frustra: aut quæ me dementia cepit?
 Quin potius, mœa quando nihil suspiria profunt,
 Nec luctu aut lachrymis reuocantur fata profusis:
 Quod possum, ne sola tuos testetur honores
 Roma potens, laudum ponam monumenta tuarum,
 Quæ grauis Antenor miseræ post funera Troiæ,
 Mansuras Teucris sedes, urbemq; locauit,
 Et Venctium genti fausta dedit alite nomen.
 Hic ego bina tibi niueo fulgentia saxo
 Constituam gratus solenni altaria ritu: &
 Annua præbebo festis spectacula ludis.
 Hic manus artificum te pulchro docta colore
 Exprimet, ac Paric viuum de marmore ducet,
 Et notos fuluo vultus imitabitur ære.
 Hic, quicumq; tuas aut versu, aut voce soluta,
 Dixit egregiè laudes, sua præmia victor
 Accipiet, letusq; virum volitare per ora
 Gaudebit: gaude æternum victure Menalca.
 Hic, hominum ex animis nullo deleberis æuo.
 At quæ se magni pandit tibi regia cœli,
 Pastores inter diuos letabere: & illinc
 Despiciens casus olim miserabere nostros,
 Auertesq; metus omnes in vota vocatus.

M m m 3

I O L A S.

HVIUS EGLOGÆ IDEM QVOD

superiorum est argumentum, nisi quò d' illic
pastores, hic piscatores in-
troducuntur.

M O P S V S E T D O R Y L A S.

IA M rapidi medium cœli sol igneus orbem
Transferat, pronòq; vrebat lumine pontum:
Mopsus arenoso cum cœdens littore mœstus
Piscator, nullamq; trahens ad littora prædam,
Despondere animum cœpit, cymbamq; reliquit:
Humidatq; expandens per duras retia cautes,
Dum siccat cistasq; leues, nodosaq; lina
Sol ardens, vacuum iratus diuertit in antrum,
Ingratos cupiens requie tendre labores.
Quò postquam ventum, rupes resonare querelas
Miratus, videt incuruo de littore tristis
Fundentem questus Dorylam, quo doctior alter
Non fuit, occulto deprendere gurgite pisces,
Et fundam iacere, & ponto trahere humida lina.

MO P. Accedensq; inquit, Doryla, quem tristis ademptum
Sic gemis, vt flenti resonent tibi littora & antra?

DO R. Ne luctus, ne rumpe meos respondit, & eheu,
Tu quoq; communem mecum turbatus anicum
Flere para, & nostri miserum morientis Iolæ
Interitum: vitreis quem defleuere sub vndis
Nereides: fleuit vicina per æquora Delphin,
Assuctos de more choros duxisse per vndas
Non visus, tristiq; horret ceu tabe peresus.

En passim Halcyones mœstæ, per saxa, per antra,
Tritia flebilibus complent maria alta querelis.
Quare agedum mœstos mecum Mopse incipe cantus:
Incipe, quando quidem lenes caua littora fluctus
Pulsant, & seui posuerunt murmura venti.

MO P. Quis mihi te rapuit, quis te dulcissime Iola?
Nostræ olim requies, olim spes vnica vitæ:
Nunc lachrymæ, æternusq; mihi dolor & lamenta,
Nec te præsidium, ac nostræ spes magna iuuentæ
Aspicere, & sacræ licuit ferre oscula dextræ
Vltima, & occlusisse oculos in morte natantes.
Nec tibi ego inferias duxi, nec iusta peregi.
Quid primum querar? aut quò tristia pectora vertam?
Proh dolor, ab comitem tibi me ne immitis Iola
Sprenuisti moriens? ambos eadem hora tulisset,
Et dolor infernas idem misisset ad vndas.

Nereides nostras, oro, ingeminate querelas.
Quid iuuat vmbrosis vitam producere in antris
Æquoris vndisoni, quæ rauca subederit vnda,
Si mihi deliciae sint & solatia adempta?
Littoribus quin & scopulis, & luce relicta
Malle meam æquoreis vitam deperdere in vndis
Certum est, vt monstris fiam noua præda marinis.

Nereides nostras, oro, ingeminate querelas.
Tu vitrei Proteu pastor gregis, incolæ ponti,
Et tu qui magno moderaris seua tridenti
Æquora, nunc questus, oro, ingeminate recentes.
Ille etenim ante alios vestri reuerentior omnes
Qui fuit, & largos aris indicere honores
Suetus erat, nunc exigua est tumultus arena.

Nereides nostras, oro, ingeminate querelas,
 Tu verò ante tuas ades ô Galatea sorores,
 Et mecum desle casum infelicis Iole.
 Occidit heu procul à patria, notisq; propinquis,
 Ille tibi ante omnes olim dilectus Iolas,
 Qui nondum primæ vestitus flore iuuentæ,
 Sicanias rupes, præruptaq; saxa Pelori
 Te mirante nouo cantu complebat. at illi
 Mamertina modis resonabant littora miris.
 Non vt amans olim Siculas Polyphemus ad vndas
 Dum caneret blanda scopuli pendentis in vmbra,
 Candidior folio niuei Galatea ligustri:
 Sed causas rerum, & magni primordia mundi,
 Igneus vt vario sol lustrat lumine terras,
 Vt mane Eois primùm se tollat ab vndis,
 Rursus & Hesperio nitidum caput æquore mergat.
 Cornibus in plenum vt redeat noua luna coactis,
 Vtq; regat Graias Helice formosa carinas.
 Cur ter in abruptum fluctus malè sana Charybdis
 Sorbeat, effractus reuomens ad littora puppes,
 Naufragaq; angusto dispergens corpora ponto,
 Cur ingens miris exæstuet ignibus Actna,
 Et procul ostentet Lipare fumantia saxa.
 Vt Deus æterno vigeat viuacior æuo.
 Vtq; domum hanc mundi, qua struxit, temperet arte,
 Omnia que senior puero monstrauit Amyntas,
 Et dixit, magnus fies olim ista canendo.

Nereides nostras, oro ingeminate querelas.
 At vos ô mecum scopuli, mecumq; recurua
 Littora, quæ Adriacas obiectis caulibus vndas

Frangitis,

Frangitis, incurfus quoties grauis excitat Auster,
 Littora Tyrrhæni fluctu pulsata profundi,
 Occiduas Zephyrus tunc cum iactauit arcenas,
 Plangite dilecti casumq; & funus Iole.
 Tu mecum Benace senex hunc plange marinis
 Fluctibus, & mæstas resonet tibi Sirmio voces.
 Siste Nereides, nostros iam siste questus.

D O R. Dulce tui resonant numeri, tua carmina dul-
 Nec niuei voces cygni sentire canoras (ce,
 Malim, cum liquidi circum stagna ampla Caÿstri,
 Flebilibus numeris notas moriturus ad vndas
 Conqueritur, retinetq; nouo vaga flumina cantu:
 Non quas Alcyones mæstæ fudère querelas,
 Cum tutos placido condunt super æquore nidos.
 Verùm agedum Hesperias quando procul aspicit vndas
 Sol, & adhuc sero non surgit vesper olympo,
 Mopse tuos itera cantus, Mopse incipe rursus:
 Et scopuli questus iterent, & saxa querelas:
 Vt vernas inter frondes cum Dauias olim
 Deslet mater Itym, resonant arbusta, nemusq;
 Suauior & semper repetito carmine vox est:
 Sic tibi, seu tremula moderabere arundine linum,
 Siue per immensum deduces retia pontum,
 Sit mare compositum: vitrea sit piscis in vnda
 Plurimus, & curuos imprudens appetat hantos:
 Sic tibi sufficiat squalentes Adria conchas:
 Sic iuuet has, æquor qui cuspide temperat, artes.

M O P. Ne nostros Doryla cogas renouare dolores:
 Né ue iterum tristes effundere peccore voces:
 Dum resero, crescit dolor, & noua cura recursat,

M m m 5

*Nec potis est superas tristis vox ire sub auras.
 Quin potius nostros quoniam lenire dolores
 Carmina nulla queunt, pariter surgamus: & antè
 Quam vesper seros ostendat noctifer ignes,
 Nassinq; & tectos escis fallacibus hamos
 Tendamus pariter, toto dum lumina cælo
 Paulatim effundit stellis circumdata Phœbe.
 Forsitan ingrati dispendia longa diei
 Sarciet optatæ referens nox commoda prædæ.*

IN PETRI BEMBI
 MORTEM DIVERSORVM
 EPITAPHIA.

DEO IMM. S.

ET VIRTVTI, AC MEMORIAE
 Petri Bembi Patritij Ve-
 neti S. R. E.

*Card. cuius ingenij, literarum, eloquentiæ, gloriæ in suo se-
 culo Princeps, & antiquorum laudibus par: Gratia au-
 tem in amplissimo ordine, in moribus probitas, humanitas,
 liberalitas, supra communem modum semper existimata
 sunt. Quod de eius vita hominum iudicium, beata mors, san-
 cti simè ab eo & pacatissimè obita, diuino quoq; confirma-
 uit testimonio.*

Vixit Ann. LXXVII.

O TV-

O TVSCAE, ô Latæ Musæ decus optime vates,
 Et Venetæ scriptor nobilis Historiæ.
 Flens tibi purpureos flores, spargitq; recentem
 Adriacum pelagus, Tybris & Arnus, aquam.
 Et Nymphæ inscribunt tumulo, hoc miserabile carmen:
 Mors rapuit Bembum delicias hominum.

EXTINCTO Bembo Permessi exaruit vnda,
 Et creuere annes Italiæ lachrymis.

MORTE tua est auctus lachrymis & Tybris, & Arnus,
 Bembe, at Castalijs aruit vnda vadis.

BEMBV mente Deum tumultatum in æde Mineræ
 Doctiloquæ, natus Pieridum in gremio.

ARVIT extincto laurus Parnassia Bembo,
 Castalia & subito mæsta negavit aquas.
 Ex Helicone simul vox hæc audita, sorores
 Vno, heu, cum Bembo conticuère nouem.

DELITIAE Bembus Musarum ad sydera cantus
 Traxit Apollineos, Ausoniamq; lyram.
 Carmine sat gemino mortales imbuit aures,
 Nunc immortales conciliare iuuat.

ADRIACI Regina maris decus addita ponto,
 Cuius maiestas Itala regnat aquis,
 Ne raptum doleas Bembum, sed in astra receptum,
 Ac similem gaude te genuisse Deis.

*Threicium ad superos vatem rediisse putarunt
Rex illum Eridanus, Tybris, et Arnus hians,
Et cursus tenuere suos, dum mira canentem
Suspiciunt et amant, et monumenta legunt.
Addidit inde sacro columen pia Roma Senatu,
Fabula, quæ tantis plausibus acta fuit?*

*BEMBE senex charus Musis, et charus Amori,
Gloria Romani carminis, atq; Itali,
Extinctus senio tamen es, lachrymabile funus,
Nam tua mors cunctis visa nimis propera est.
Te Veneti fleuere lacus, vnde accipis ortum,
Et Tybris busto proximus et cineri.*

*ERIPITVR Bembus rebus mortalibus, ille
Bembus amor Charitum, Venetæ flos nobilis vrbis,
Purpurei sacro decoratus honore Galeri,
Spes hominum ingenti qui diuitis vbera vicit.
Illum Roma suis Varronibus orba, suisq;
Aequauit Crispis: mors deniq; lumina, laudem,
Hæc summa extinxit lachrymis Farnesius illum,
Atq; hoc extremo dignatur honore sepulchri.*

*MAEONIVM vatem Perseo condidit auro
Rex Macedum, et regnis altius egit opus
Illius: at tu heros virtutum, ac nominis heres,
Quo Bembum condas nobiliore loco?
O si pro meritis posses qui moesta sepulto,
Ferre paras, viuo munera leta dares.*

*MORS vulgi indocti depascat nomina, nomen
Postera non ætas obruet vlla tuum.
Dum Musæ in terris Latiae, Tuscaeq; colentur,
Cresces Bembe virens laudibus vsq; nouis.*

*DIGNVM Calliope Bembo cane carmen, at ipse
Do tumulo flores, do cineri lachrymas.
Bembus amor Phœbi, Phœbo quoq; digna loquutus,
Hic stus est, felix vixit, et occubuit.*

*INDIGETIS genio Bembi cum turba pararet,
Vatum flebilibus soluere iusta modis,
Pro numeris, dixit, date sacra silentia Phœbus,
Nec culpa hæc vestri deterat ingenij.*

*AVRATA, Pariâq; alij conduntur in vrna,
Sunt hominum Bembo pectora sarcophagus.*

*HIC iacet Aonidum succensus amore Dearum,
Bembus Cardinei gloria celsa chori.
Hic tantum Musis fistus afflauit Hetruscis,
Mantua quæ tacuit, Smyrnaq; docta silet.*

*BEMBE iaces, tecumq; iacent Tritonia, Musæ,
Relligio, Charites, Phœbus, Atlantiades.
Sed viuunt potius tecum: nam tempora factus
Ingenij poterunt nulla abolere tui.*

*LAETVS abit Bembus, cui longum contulit æuum
Vita, sed æternos mors dabit æqua dies.*

Res noua, res mira est, post mortem, vt mortuus annos
Plures, quàm vita tempora viuus, agat.
Bembum, nil mirum est, abeuntem viuere plus quàm
Viuum: nam virtus inclyta nulla perit.

ADRIA Thespiadum Bembo cultor: Dearum
Sydera supreni clara petente poli,
Parce tuas lacerare genas, lacerare capillos,
Vult cantu Bembi turba superna frui.

ADRIA Pieridum Bembus tutela fororum,
Iuit in Elysij regna beata soli.
Ad te bina fluunt ploranti flumina cursu,
Et dant pro lachrymis Tybris & Arnus, aquas.

AONIDES, Charites, triplicis quòd idiomatica lingua
Compta, Petro Bembo depereunte, cadunt.
Elete deæ, Charites, Latius, Pelopeus, Hetruscus,
Itala nam Syren, Attica, Tusca perit.

EMERGUNT flauis Tyberina Naiades vndis,
Et madidum extollit Nais Hetrusca caput.
Serta ferunt Bembo Latia, Tuscaq; Cancene
Cultori, & rorant hæ tumulum lachrymis.

QVO fluitis profugæ? nostras cur linquitis vndas
Naiades ô charæ, Tybris & Arnus aui?
Naiades exclamant, per flumina clara natantes
Imus in Adriaci stagna profunda maris.
Sunt ibi Nereides, Bembi dulcissima Syren,

Que Latium & Tuscum sparsit ab ore melos.

ADRIA, Castalides, Aenotria, Tuscia, Bembus,
Nobilis, vnanimis, florida, culta, probus,
Vndiq; coniunctim, subito, velociter, cheu,
Oblue, complete, prome, profunde, obiit,
Littora, Parnassum, lamenta, fluenta, senectam,
Humida, laurigerum, grandia, larga, grauem,
Fluctibus, elogio, singultu, lumine, leto,
Luatisonis, mæsto, triste, gemente, hilari.

ARDALIDES, Vates, Hetruria, Græcia, Roma,
Findite, complete, sparge, profunde, seca,
Aera, Permessum, lachrymas, suspiria, crines,
Singultu, questu, lumine, corde, manu.

ANTE alios, quos terra dedit, quos Itala virtus,
Aeterno est Bembus dignus honore coli.
Nam seu candorem, & sanctæ penetralia mentis,
Seu spectes lingua flumina, primus erat.
Quid magis optandum, quàm terris linquere nomen
Post obitum, & vitam viuere cum superis?

CVM Charitum optarent crudeles funera Parca,
Et Stygis ambigerent, quæ prior iret aquas,
Pro tribus Elysias descendis Bembe sub vmbra,
Consequiturq; dies magna ruina rogos.
Nam tecum Hetrusca decor & præstantia lingua,
Et tecum Latia gratia prisca iacet.

QVID verò iniustus vrgemus fata querelis?
 Pergimus & manes sollicitare pios?
 Non perijt Bembus, neq; enim potis ille perire,
 Qui memoranda facit, qui benefacta canit.
 Sed segetem immense laudis, quam messuit olim,
 Nunc sibi perpetuo sufficit ille penu.

CONCIDIT vt Bembus studiorum maximus heros,
 Hetruscæ fidicen, Romuleæq; lyrae.
 Barbara præclaras iterum vis obruit artes,
 Mersaq; naufragio est vtraq; lingua nouo.
 Cunctarum & clades virtutum indigna secuta,
 Visa orbem antiquo est inuoluisse chao.

HIC Bembus tumulus: nam cætera dicere tantum,
 Tot bene scripta viri, tot bene facta valent.

ADRIA Bembe tibi patria est, tibi Roma sepulchrum:
 Imperat hæc terris, imperat illa mari.
 Egredie es Tusca lingua, Latiaq; locutus,
 Non hac non illa dulcius vlla sonat.
 Sunt testes Musæ Tusca, Musæq; Latine,
 Magnanimùm Venetùm testis & historia.
 Nobiliore loco haud poteras nasci, nec obire,
 Nec magis ornate, nec magis dulce loqui.

SQUALLEBAT spinis Tusca & Latia horrida lin-
 Bembe tua ridet nunc bene culta manu. (gua,
 An potius plorat? flores en mæsta sepulchro
 Dat tibi, quos debet, cum gemitu & lachrymis.

E C.

EC QVID vt extinctum Bembum mæsta Adria defles?
 Romaq; non illum mortem obiisse putes.
 Viuit adhuc, multum est mecum, mihi narrat amores
 Sæpe suos, Venetùm narrat & historias.

PARS Bembus hic tegitur mortalis, & altera cœlum
 Possidet, at totum nomen circumuolat orbem.

SI quando Aonides afflarunt nostra sorores
 Pectora, Pierios & docuere modos,
 Nunc cuprem afflari, & Phœbæo accendier igni,
 Ad virtutis opus qui stimulare solet,
 Defuncto vt meriti Bembo exhiberentur honores,
 Si tamen huic tribui possit honor meritis.
 Sed nec lucis eget externa munere Phœbus,
 Nec laude externa vir eget egregius.

IPSE sibi propria nomen virtute parauit
 Aeternum in terris, cœli & in arce domum.
 DV M celebri pompa peraguntur funera Bembus,
 Aurea crinitus condidit ora Deus.

Mæstitiam caput obscuro velatus amictu
 Significans, mæstos moris vt est facere,
 Et veluti lachrymis pluuiæ testatur, alumni
 Quam sibi delicti mors sit amara sui,
 Qui doctrinarum, vitæ & splendore coruscans,
 Fulgidus in terris sol velut alter erat.

VT sol exoriens abscondit lumina noctis,
 Luce sua cunctas opprimit atq; faces,
 Induxit tenebras tua sic oratio cunctis
 De Bembo clogijs, quæ patria hæc cecinit.

N n n

*Sic felix Bembus felicitus ab ore est,¹
Vt gemma artificis quæ bene culta manu est.*

*HETRUSCAE, Latineq; decus & gloria linguæ
Hic iacet, hoc saxum non coluisse nefas.
Bembus nomen erat, meruit virtute tiaram
Cardineam, felix incolit hic superos.*

*HÆS Latia violas, tibi Graia hæc lilia Musa
Ad tumulum spargit, & cineri lachrymas.
Hetrusca hoc scribit tumulo lachrymabile carmen:
Te decus Ausonium depercunte perit.*

*HIC situs est Bembus, satis hoc, nam cætera clarent,
Quo se cunq; decus protulit eloquij.*

**IN FVNERE PETRI
BEMBI CARDINALIS, AVGV-
STINI BEATIANI LA-
CHRYMÆ.**



*PERTVLIT ad nostras infelix nuncius
aures,*

*Transijt vnde animi tristis ad ima dolor,
Fusse, graui Bembum morbo, vitæq; periclo*

*Fessa laborantem membra tenere toro.
Si diuina petens mortalibus occubet vmbriis,
Illustretq; astro sidera celsa nouo,*

Omnia

*Omnia fœdari, insuetiq; horrentia luctu,
Et tetra videas secula nocte premi:
Parnasi & lauros ardescere, luce Poësim
Priuari, & flentem frangere fila lyre.
Non quia gestaret Tyrio circumdata fuco
Tempora, qui Reges vnicus æquat honor:
Sed quia concordæ affectu splendebat in vno
Religio, & summa cum probitate fides:
Sed quia Phœbeo promebat timctæ lepore
Carmina, Cecropio dulcia melle magis.
Quæ prælata alijs aded laudare solebas,
Cuius iudicium Phœbus & ipse timet.
Quilibet assiduis mox fletibus inquinet auras,
Et fletus resonet mixta querela sono.
Ast ego si pereat, lachrymis absumar, critiq;
De cælo visus sol cecidisse mihi.*

EIVSDEM ELEGIA.

*Spes abiens nostras tecum fers Bembe, beatæ
Arboris vt vehemens decutit Eurus opes.
Non tamen in lachrymas abeo, nec tristis ab ore,
Mœrentem vt mos est, inde querela venit,
Id quod noster amor, pietas & debita poscit,
Nulla quod & ratio corripuisse queat.
Inuideâmne tibi portus intrasse petitos,
In quibus haud potis est vlla procella dare?
An, tua quod virtus in cœli parte recepta est,
Cuius & ætherca sis quod in arce, querar?
Te quoq; cœlestes inter dubitabit haberi
Quis, nisi quem alterius viuida fama premit?*

Quanta est, te solita est decorare moestia, euaalem
 Credam habuisse aliquem, forsā habere negem.
 Vidimus esse tuis nil fictum in moribus, os nil
 Dixit, idem in puro ni tibi corde foret.
 Tu, quamuis leuia, haud poteras mendacia ferre,
 In summo hæc reputans criminis esse gradu.
 Quis maiore fide charos dilexit amicos?
 Cuius in hos larga est dextera visa magis?
 Testis ego, haud quicquam postcenti multa dedisti,
 Si petiissem, etiam plura daturus eras.
 Par tibi quis pietate fuit? quis purius unquam
 Sacra Deum coluit tradita, mente, manu?
 Quæ sisse ipse tibi obijciat laudes nec honores,
 Quæ dare, ubi virtus defuit, æra solent.
 Nil externa mouet generosum gloria pectus,
 Quæ propria est animi, sola petenda viro est.
 Spernere te oblatum memini voluisse galcerum,
 Quo Regis natus munere letus eat.
 Atq; id iurè quidem, illa satis nam gloria visa est
 Magna, tibi Aoniæ quam peperere Deæ.
 Quis tua Mæoniden æquare poemata nescit,
 Et simul Hetruscis altius ire modis?
 Sol indefesso dum lustret lumine terras,
 Illustri notus carmine Bembus erit.
 Quæ scripsisti etiam patriæ tellure, mariq;
 Gesta, tibi æternum viuere lecta dabunt.
 Qui fueris, facile à fletu est comprehendere, qui te
 Defuncto Adriacas crescere cogit aquas.
 Qui fueris promptum cuiuis est nosse, tuo cum
 Sic doleant obitu mœnia celsa Remi.

Hinc

Hinc socio amisso deflet Sadoletus, & altè
 In medio fixum pectore vulnus alit.
 Vulnus alit flendo assidue, cui splendida clarum
 Purpura cardineo signat honore caput.
 Hic Sadoletus, hic est meritò quem Phœbus amico
 Lumine respexit, Pieridumq; chorus.
 Luget & ille, Deum certissima cura, Senatus,
 Est cui ferre datum relligionis onus.
 Luget Pontificum & Farnesi gloria Paulus,
 Quem laudare satis Musa nec ipsa potest.
 Quo Petri annitente salus est reddita cymbæ,
 Quæ in medijs fuerat mox peritura vadis.
 Quam iactura grauis sit talem anittere, deflet,
 Et non posse tibi flet reperire parem.
 Bembe nouum saluæ, & valeas decus addite Diuis,
 Vnde tuum finus sit mihi flere pudor.
 Sit mihi flere pudor cœlestia regna tenentem,
 Interea tumultum iiterra sculpta notet:
 Marmore in hoc Bembus tegitur, cui laurea frontem
 Cinxit, & ornauit sacra tiara caput.
 Cœlestem quodcunq; animum gestare decebat,
 Natura huic, vlli non dare sueta, dedit.
 Moribus his, tali haud videat virtute nitentem,
 Phœbus ab Aeoo dum vebat orbe diem.
 Exemplum hinc, probitas quò sese extendere possit,
 Quòue quis ore canat, secula futura pctant.

AD LEONARDVM FVSCVM.

SI pietas te Fusce mouet, si gloria Bembi,
 Carmine, quo deceat, funera flere para.

Scis etenim perijisse virum, post fata perenni
 Nomine qui Phœbus viuere posse dedit.
 Quamq; animo foret ille vllò sine crimine nosti,
 Ante Iouem quales fama fuisse refert.
 Nec fictis opus est hunc tollere laudibus, est ne hic
 Qui, quiduis dicas, dicere iurè neget?
 Quin caue (vis fandi quanquam est tibi maxima) dicas
 Ne minus, illum homines quàm meruisse putent.

LEONARDI FVSCI FOROIV.

liensis, in Cardinalis Bembi obitu Elegia.

DVM vacat, hic patriæ secessus inter opacos,
 Quæq; aura, & multo deuia colle placent,
 Mecum vnâ indulgens vesano Musa dolori,
 Dic agè lugubri carmina mœsta sono.
 Flendi obitus nobis, & tristia funera Bembi,
 Funera quæ lachrymis haud decorare nefas.
 Quæ doctæ, quæ vos tum causa morata sorores,
 Nec passa Adriacæ est Thetyos ire freta,
 Amissum ingemeret Bembum cum Neréis illic,
 Ac longè in medijs conquereretur aquis,
 Cœruleum os, glaucosq; sinus, fletu humida largo,
 Canaq; roranti pectora tumsa manu?
 Vos decuit magnæ in partem properare querelæ,
 Certatim & luctus ingeminare graues:
 Nulli hic quàm vobis magis flebilis occidit, artes
 Quarum aded, & sanctos auxit honore choros,
 Sæpe oras olim assuetus lustrare repostas
 Phocidqs, atq; vmbriis auia grata suis:

Sæpe

Sæpe iuga, irriguiq; Helyconis fontibus antra,
 Antra nisi à casto non adeunda pede,
 Illum vbi victuro ditastis carmine, vestras
 Largius vni omnes & tribuistis opes,
 Vt foret extenso quo se Adria tolleret æuo,
 Iactaretq; suas vate superbus aquas.
 Vate, comas cui non solum, & pia tempora compsit,
 Quæ Cynthi intonso est arbore amata deo:
 Verùm & Tarpeo data pilea rubra tonante,
 Quiq; nitet roseo murice tinctus apex.
 At non infelix istis tibi cultibus, isto
 Ornatu, longùm Bembe nitere datum est,
 Quandoquidem exacto lustris vix tempore, postquam
 Hæc vltro dederat munera Paulus, obis.
 Et te non pietas, cheu, tutata merentem,
 Non & relligio casta fidesq; fuit,
 Priscæque simplicitas, ac candor pectoris, ipsæ
 Qualem Sythonia vix habuere niues,
 Atq; æqui semper cultrix, & nescia fœdi
 Criminis, à turpi & mens aliena probro.
 Crudeles Parca, vestrum si fila colusq;
 Tot dotes, tot non sucta mouere bona,
 Quis insignem atrox funus nescire decebat,
 Vitare & rapidi tristia damna rogi.
 Heu quid vana optem, tumulis quemq; occultit inis
 Atra quies, omnes & sua fata manent.
 Quanquam si tenebris aliqua sese eximit, alto
 Nec penitus Lethes obrutus ille lacu est,
 Cui decus ingenij quæ situm munere summum
 Viuenti, & cultis gloria parta notis.

Nnn 4

*Scilicet haud totus morieris funere raptus
 Bembe, tui & magna parte superstitis eris:
 Clarus & argutos inter celebrare olores,
 Quos Arnus, quos & Mincius amnis habet:
 Nec sera eripiet latis tua nomina terris,
 Cuncta potest quamuis imminuisse dies.
 At fama (hanc donec tollet sua penna) loquetur,
 Ornabitq; magis laudibus, atq; magis,
 Censentur quacunq; sacre vocalia Cyrrhæ
 Et studia, & lusus, Pieriusq; labor.
 Sed iam cessandum questu, & lugubria plectra,
 Lugubrem nobis fas posuisse lyram.
 Sat fletum: atq; ipsum tumulum iam condere tempus,
 Quem mandat Vati Musa parare suo,
 Quæ virides crescunt Luci, vada propter amœna
 Cœlinæ, & summis lapsa fluentia iugis,
 Hic etiam extremo vt donetur honore, iacenti &
 Structa quoq; in nostro stent monumenta solo,
 Quis violam indigenæ inspergant, & odora quotannis
 Lilia, viuaci teq; amaranthe coma,
 Atq; alios, quos dat flores, cum vernat aperto
 Terra sinu, & cultu iussa virere nouo est.*

AD LEONARDVM FVSCVM

Augustinus Beatianus.

EXTINCTVM Aonio defles dum carmine Bembum,
 Quod toto dolcas pectore Fusce doces.
 Quippe, quod & ratio iubet, & sincera voluntas,
 In similis similem funere flere decet.

Inuidiæ

*Inuidiæ non fesse foret tot dotibus auctum,
 Qua nemo est qui te labe carere neget.
 Elicis ex oculis lachrymas, ex ore querelas,
 Vt non fesse labor, sit tacuisse pudor.
 Vitam igitur geminam viuet post funera, cantu
 Ille suo, fletu viuet & ille tuo.*

INCOLA Cœlinæ dicat hæc tibi carmina Bembe
 Castalidum cultor Fuscus, & autor opum,
 In quibus Aonios queritur periisse lepores,
 Et sucto penitus fonte carere lacus.
 Teq; iidem egregium meruisse fatetur honorem,
 Quo raras visa est cingere Musa comas.
 Testaturq; simul veteres æquasse poetas,
 Ac talem nullo tempore posse dari.

BEMBE iaces, tecumq; iacet quæ prima canendi est
 Gloria, ad extremos non reticenda dies.
 Bembe iaces, tecumq; iacent coelestibus apti
 Mores, quos posthac secula nulla ferant.
 Bembe iaces, tecumq; iacet sincera voluntas,
 Et qui nos prohibet dicere falsa pudor.
 Bembe iaces, animiq; iacet laudabile tecum
 Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

NON hic Bembus ea, qua cuncti lege tenemur,
 Est sius, ante data iussus obire die.
 Sed somnum hac nitido carpit sub marmore, tantum
 Cernere in æthereo quo datur orbe Deos.

NON 5

HIC situs est Bembus, cui natura omnia, possit
 Vnde animi fieri vir sine labe, dedit.
 Hoc situs in tumulo est Bembus, cui prima fororum
 Calliope canere hoc, quod canit ipsa, dedit.
 Confedit proceres inter, quibus incluta sacras
 Purpureo cinxit lana colore comas.
 Virtutes animi has habuit, quas credere in vno
 Haud cuiquam facile est posse manere loco.
 Inuida ni talem rapuissent numina Parcae,
 Successuq; hominum tristia, leta malis,
 Ad summa extolli, poteratq; ostendere, qualis
 Cœlestium in terris amula vita foret.

HIC situs est Bembus, de quo fas dicere solo est,
 Laudato dici quicquid ab ore potest.

HIC Bembus iacet, Aonidum laus maxima, Phœbi,
 Cum Sole & Luna vix periturus honor.
 Hic & fama iacet, spes & suprema galeri,
 Quam non vlla queat restituisse dies.
 Hic iacet, exemplar vitæ omni labe carentis,
 Summa iacet summa hic cum pietate fides.

HIC situs est Bembus, quo sese iactat alumno
 Tam magis Aonijs Adria clarus aquis.
 Hetruscas celebri vicit modulamine Musas,
 Mœonida factus, Virgilioq; comes.

AD LEONARDVM FVSCVM.

NOVI ego quid nostræ possunt in carmine vires,

Et

Et mea quàm modico Musa lepore nitet.
 Edere scripta ideo Bembi de morte verebar,
 Ne fieret laudis causa pudoris amor.
 Hunc mihi dixisti ratione vacare timorem,
 Nec dignum impediât qui pietatis opus.
 Est pietas quaesita tibi, non gloria, quando
 Præcipit hæc iustus funera flere dolor.
 Ecquis erit, Bembi qui flentem funera damnet,
 Sit licet innumeris plena querela notis?
 Omnia te Bembo totiens debere fateris,
 Debitaq; hæc viuo non soluisse doles.
 An vano errandi forsân terrore tenebis
 Officiosa animi pignora clausa tui?
 Vlla quibus si menda meret, sincera voluntas,
 Et meritò veniam mens generosa dabit.
 Liorem metuis? didicit cui parcere lior?
 Mendosum hic etiam, est menda vbi nulla, facit.
 Hortatu mutata tuo sententia nostra est:
 Non parère tibi nam scelus esse reor.
 Verùm quodcumq; hic infamia laus ùe sequatur,
 Commune id nobis Fusce duobus erit.

HOC Petrus nitido tegitur sub marmore Bembus,
 Cui natura, potest quæ dare, larga dedit.
 Cuiq; decus partum ingenio, & virtutibus auxit
 Addita laurigeræ purpura clara comæ.
 Idem animi probitate omnes æquavit honores,
 Vita quibus cœli scandere tecta facit.
 Disce hinc quàm lachrymis est fas non parcere, cum spes
 Nulla sit huic posthac surgere posse parem.

EIVSDEM ELEGIA.

QUAMVIS & vitæ meritis, & moribus inter
 Te quoq; cœlestis Bembe nitere putem,
 Non tamen hunc animi possum reticere dolorem,
 Et quæ in corde tua vulnera morte gero:
 Et ratio dat victa manus, quod vana querela est,
 Perdita quod fletus restituisse nequit.
 Mitto ego quàm facili cecinisti carmine, Phœbi
 Suavidicos referens Castalidumq; sonos.
 Mitto etiam, probitas quod te pereunte recessit,
 In nullo posthac tanta futura loco.
 Quamq; humilis, nullaq; fores depictus ab arte,
 Ceu qui verba petit per simulata fidem.
 Vtq; unum dederat tibi cor Natura, loquendo
 Sic timuit sensus promere lingua duos.
 An patiar periisse vllis sine questibus, illum,
 In quo spes nostræ tota salutis erat?
 Fœdari patiar nullis mea fletibus ora,
 Cum mihi plus videam, quàm periisse patrem?
 An memorem seruata meo sub pectore dona,
 Tradere quæ patrius te mihi iussit amor?
 Sunt etenim, quot clara micant tunc sydera cœlo,
 Phœbus in occiduis cum iubar abdit aquis.
 Soluere non potui viuenti debita (tantum
 Parca mihi nimium parca negauit opus)
 At postquam defessus abis, terrestria tenuens,
 Expleto tibi quem fata dedere die:
 Non tantum ingratus, sed vita indignus haberer,
 Te nisi luce fleam, te nisi nocte fleam.

Lauda-

Laudabunt alij dotes cœlestibus æquas,
 Has, quibus haud vllis cernimus esse pares,
 Et quod Apollineo concinnans carmina torno,
 Prompseris ætherio quicquid ab orbe venit,
 Quodq; tibi oblato crimes ornauerit Ostro,
 Non prece, sed meritis, ære nec emptus honor:
 Extollentq; tuum super æthera nomen, eritq;
 Quod colat auditum Solis vtrunq; latus:
 Ipse autem absumam sic lumina fletibus, vt non
 Hora queat siccas vlla videre genas.
 Dumq; fluent lachrymæ tristi de lumine, mecum
 Incipiet posito Musa pudore queri.
 Perpetuos vidcat fontes cum arefcere, lauros
 Aut Iouis irati fulminis igne peti.
 Te mecum Adriaci deflebunt numina ponti,
 Viciniqu; lacus, Nereidumq; chorus.
 Et patriæ mecum proceres tua funera flebunt,
 Quæ veniunt superis iure dolenda Deis.
 O nostri fletus vtimam adiutorq; comesq;
 Maxima Parnasi gloria fuscus eat,
 Alter quo facta est Helicon Cœlina, minusq;
 Pierius Vatum iam rigat ora lacus.
 Nequaquam dabitur tantos æquare dolores,
 Nec quæ perdidimus hoc Duce flere satis.
 Saltem ea, quæ noui tibi me debere, fatebor,
 Et mansura animi pignora certa dabo.
 Debita certa animi dabo soluere signa volentis,
 Vt me nec liuor corripere ipse queat.
 Si tamen hic fletus, quem cœli è culmine cernis,
 Tot tua non æquat præstita dona mihi,

Sit tibi pro facto, factum quodcumq; voluntas,
Id. quanquam nondum fecerit, esse cupit.

ERGO etiam nostræ ne desint commoda vitæ,
Curasti moriens? monumentum & pignus amoris
Scilicet illius, quo tot volentibus annis
Resq; tuas, nomenq; tuum me pectore nosti
Constanti gestare, nec vlla in parte vereri
Ponere pro te animam, & certis offerre periculis.
Non satis hæc, mihi quæ dederas prius, esse putasti,
Signa animi vnde tui cunctis manifesta paterent,
Quam me diligeres, imoq; in corde repostum,
Cuiq; fides præstanda foret quamplurima, ferres.
Carmine quo dignas potero tibi reddere grates?
Quo laudes celebrare tuas? quibus Adria sese
Iactat, Apollineos per te sortitus honores,
Quales Smyrna tulit, quales & Mantua, cygnum
Sucta audire suum, tollentem ad sidera voces,
Cuius adhuc lætis resonat concentibus æther.
Non ideo tua dextra mihi tot contulit olim,
Nunc autem dedit, ut canerem velut ære coemptus
Quas tribuit Natura tibi largissima doies
Mentis & ingenij, non ut tua facta referrem,
Nunc tantum conspexi. Deum testantia mores.
Talia mendicet, merito quem nulla tueri
Virtus nota potest, vel si Laudarier optet.
Empta opus est laudes ut per mendacia querat.
Te verò quisquis pleno cantauerit ore,
Inq; vno, quæcumq; homini sint danda, locarit,
Parcius ille tamen poterit dixisse videri,

Crede.

Crede de te vno quicquid laudabile fas est.
Cur ego te laudare velim? si mane recentes
Quæ sol iungit equos, quæ vespere soluit anhelos,
Omnia plena tuis visuntur honoribus, omnes
Spirantes strepitant Bembe nomine venti:
Sic passim audita est meritorum summa tuorum.
Si noui tenuis quam sit mea Musa, timet quæ
Aeris tentare vias, sine remige penna,
Virtutisq; tuæ campum exercere canendo,
Vtq; decet, pictum seculo mandare sequenti.
Hinc dolet, hinc animus curis agitatur amaris,
Quod re non potis est, puris nec soluere verbis,
Quantum vni tibi, verè vni, debere fatetur,
Tu certè (fateor) tribuisti plurima viuens,
Defunctusq; mihi, memori quæ mente tuebor,
Spiritus hos donec moribundos rexerit artus,
Et post fata leueis abiens vanescat in auras,
Hic nisi & ætheriam capiant obliuia mentem.
Soluere si possit soluendi prona voluntas
Debita, magna licet fuerint, soluisse viderer,
Implesemq; animi iandudum munera grati.
Cætera si desunt, lachrymæ fundantur, & vnâ
Splendida multiplici feriantur sidera questu.
Testibus his pateat iustus, qui pectora versat
Nostra dolor, somnosq; admit noctesq; diesq;
Tristibus alta ferens suspiria fletibus addit.
Flere iuuat, quia posse puto sic debita solui.
Nec non velle dabit, quod re præstare nequimus,
Te penes ô cæli factus nunc hospes & hæres
Bembe hominum decus, exemplum probitatis, et ingens

Gloria Pieridum, Parnassi fama perennis,
 Adriaciq; sinus. Mecum vos flete sorores,
 Gorgonei quibus est custodia credita fontis:
 Vester honos cecidit, vestri perire lepores,
 Ingeniūq; ioci, & nunquam reparabile carmen.
 Tam bene cui posthac vario de flore corollas,
 Contextas manibus vestris gestare licebit?
 Tam bene cui posthac conferre ea dona potestis,
 Vnde datur celebri post funera viuere vrsu,
 Atq; rogi flammās, & spernere iura sepulchri?
 Sed tantum in nostro si pectore vulnus adactum est,
 Respuat vt curantis opem, solatia prebet
 Id mihi magna satis, quod me quicūq; videbit
 Gratum adeo vixisse tibi, & mcruisse putabit,
 Eūq; tuo immeritum veniet mihi nomine nomen.

A D M A G N I F I C V M E T

doctissimum equitem Auratum Dominicum
 Maurocenum, Veronæ
 Prætozem,

E L E G I A.

DVM regis egregiam totis conatibus urbem:
 Urbem, Athesis rapida quam secat amnis aqua,
 Et paris inde tibi, quos virtus prebet honores,
 Ingenio probitas est vbi facta comes:
 Interea noctem atq; diem nos flere necesse est,
 Fœdare & fletus imbre cadente genas.
 Sic iubet id vulnus, quo mens infracta laborat:
 Quiq; animæ penetrat iustus ad alta dolor.

Nec fletus causam potis est æquare doloris,
 Et lachrymæ ingentis fluminis instar eunt.
 Ille perit, perit ille, Deūm iustissima cura,
 Adriaci Bembus fama, decusq; maris.
 Cui secreta magis dedit antra inuisere Phœbus,
 Et bibere ex ipso, quo bibit ille, lacu.
 Ille perit, cuius pectus virtute nitebat,
 Exemplum fidei, religionis amor.
 Qui nusquam intumuit, quanquam splenderet in Ostræ
 Inter eos, quorum est gloria prima, Patres.
 Quam facilis, nulli quam noxius, omnibus æquus
 Semper erat, suetus nil nisi dulce loqui.
 Suetus erat quenquam nec re, nec ledere verbo,
 Huius & arbitrium est visus habere pudor.
 Ille habuit demum quicquid laudabile fertur,
 Perfecto & deceat quicquid inesse viro.
 Quem non ad lachrymas tanta hæc iactura mouebit?
 Ferreus est, fata hæc qui fera flere neget.
 Fama tuas tanti cum funeris attigit aures,
 Non secus ac natum, te doluisse reor.
 Noui quam natura tui est mitissima cordis,
 Quodq; homine indignum est, quam iubet ire procul:
 An quia composita (ipsa vt res docet) omnia solui
 Scrius, aut citius tempore iusta solent,
 Te ratio lugere vetet, cum cedere amicum
 Debita vbi illius venerit hora vides?
 Forsitan & reputes, nobis nil esse dolendum,
 Hinc quia discedens sydera celsa petat.
 Censenda hæc, minus vt doleat solatia leti,
 Vt leuius possit vita dolenda pati.

Absq; dolore datur superis agere otia, quando
 Nulla his materies, qua patientur, adest:
 At natura dedit miserari incommoda, nilq;
 Nos docet alterius turpe dolere malis.
 Quin potius, pudor est non flere, fleamus uterq;
 Ex oculisq; fluens impleat vnda sinus.
 Si metuis parce lachrymas nos fundere (flendi
 Sæpe etenim nimio clausa dolore via est)
 Innumeros habuit semper Verona Catullos,
 Nulli vrbs omnigena nobilitate minor.
 Vel spontè auxilio venient, fletumq; iuuabunt,
 Atq; ita sunt finem vota habitura suum.
 Notus & occiduis & Fracastorus Eois
 Est tibi, fama humeris quem super astra vehit.
 Hic est cui medicas artes concessit Apollo,
 Corpora vt eripiat semicremata rogis.
 Dicere & ad citharam dedit haud imitabile carmen,
 Quo vinci meritò secula prisca timent.
 Id facile ostendit, cum diram auertere pestem,
 Gallica quam nostris bella tulere, docet.
 Diuino ore canit, quod miserit India lignum,
 Largus vbi gemina messe renidet ager.
 Si poterit nullum his animus reperire leuamen
 Fletibus, atq; dolor, qui fuit ante, manet.
 Maurocene vnum tamen est quod mitiget hæc, quæ
 Altius in medio vulnere corde gero,
 Quòd tu, quæ patriam Bembo preunte dolemus
 Amisisse, eadem restituisse potes.

PAVLO

PAVLO TERTIO PONTIFICI
 Maximo optimoq;.

QVAM Bembum cecidisse grauis iactura putetur,
 Ceu gnatum Aoniæ quem coluere Deæ:
 Hinc tibi nosse datur, cui rerum summa potestas,
 Tergemino sacrum cinxit honore caput,
 Paule, per acrios tractus quem fama volentem
 Insequitur, nullo fessa futura die,
 Quòd tanto è populo nemo est, qui criminis umbra
 Illum vel minini non caruisse neget:
 Quòd nemo est, illum qui non dilexerit, & nunc
 Non fleat, & riguis fletibus ora lauet.
 At multò id melius potis es cognoscere, quòd tu,
 Qui res vt se habeant, lumine, mente vides.
 Aspicias quacumq; licet Sol aureus exit,
 Oceaniue iubar qua sibi demit aquis,
 Haudquaquam inuenias, qualem secernere possis,
 Huius qui capiat, sustineatq; vices.

AD CARDINALEM DE CARPO.

QVANTVM perdiderit Bembo pereunte Senatus
 Ille sacer, quo stant religionis opes,
 Quàm tibi, non vlli melius patet inclyte Præsul,
 Cui meritò roseus tempora vestit honor.
 Nanq; tuo insedit prudentia pectore, & inde
 Ingenij currunt flumina larga tui.
 Ditauit Latias Danaum splendore Camœnas,
 Huicq; dedit longè Tuscia victa manus.

Ostendit nostro non visos tempore mores,
 Nec referet similes vlla futura dies.
 Nota per hunc nobis est facta modestia, qualcm
 Orbe in sydereo remur habere Deos.
 Vera te qui didicit tantum, & quæ corde gerebat,
 Nescius ingenua mente fouere dolos.
 Hæc ego flere velim, flenda hæc sine fine: sed hæc me
 Debilis ingenij vena filere velim.
 Sat reputans manifesta animi si iure dolentis,
 Qualicumq; tibi carmina signa darem.

AD CHRISTOPHORVM MDRV-
 cium Episcopum Tridentinum, ac S.R.E.
 Cardinalem meritissimum.

ILLE decus Latij, Musarum gloria Bembus,
 Adria quo extulerat letus ad astra caput,
 Occidit, & claro liquit sine lumine terras,
 Assueto ingenijs lumine ferre diem.
 Ingenti vestra hinc affecta est curia damno,
 Qua stans relligio nullius arma timet.
 Arma hinc atq; illinc iam totum sparsa per orbem
 Impia, & immensi causa futura mali.
 O Princeps, Præses simul, & tutela Tridenti,
 Cuiq; etiam roseus tempora velat apex.
 Nota tua est quoniam pietas, notissima virtus,
 Quam tu animo, pauci quod potuere, geris.
 Te meritò indoluiffe virum tot laudibus auctum,
 Inq; vno dotes tot perijisse reor.
 Tecum igitur me flere iuuat, talemq; peremptam
 Virtutem gemino lumine flere decet.

Flere

Flere iuuat, crebris implere & questibus auras
 Pignora quo Bembi morte dolore premar.
 Non aliter corde atq; oculis mea funera fletum,
 Flere ego post obitum si mea fata queam.
 O vtinam lachrymæ sanctissima numina flectant,
 Hucq; redire animas, vnde abire, sinant:
 Detrectem haudquaquam, remeet dum ad munia vitæ,
 Vertier in fletus hoc ego corpus aquam.
 Et postquam hos primum rapit inclementia fati,
 Quos præstare aliqua nobilitate videt,
 Est opifex rerum verbis & mente rogandus
 (Vlla mouent mixta si prece vota Deos)
 Te, similesq; tui vt diuturna in tempora seruet,
 Permittatq; prius qui meruere mori.
 Nam dum tu, similesq; tui data sceptrâ regetis,
 Nulla aderunt terris, nulla pericla mari.

REVERENDISSIMO CAR-
 dinali Sadoletto.

PLVRIMVS ingenio, dicendi clarus ab arte,
 Dignior his quorum carmina Phœbus amet,
 Cum sis & sacri decus immortalè galeri,
 Quo pietas vno sospite tuta manet:
 Fleuisse an dubitem chari te funus amici,
 Par tibi qui studijs, par & honore fuit?
 Concordes memini vos tot vixisse per annos,
 Mansit & ex omni candida parte fides.
 Si Bembum tu ferre sinu, si mente solebas,
 Illius in medio pectore fixus eras,

Nullo vt amicitiae fuerit tibi foedere iunctus,
 Te deceat madidis non minus ire genis.
 Moribus his, tantaq; virum probitate cadentem
 Flere, & multiplici lumine flere, decet.
 Quis fuit omnigenae tantus virtutis amator,
 Ex animo id faciens, ambitione procul?
 Non aliter virtus vana ambitione paratur,
 Quam si de picto flore petatur odor.
 Sed quid ego haec memorem, si plenius omnia nosti,
 Utq; tua, illius facta referre potes?
 Ius utinam ablatum Parcae foret ante secandi
 Stamina, vita quibus longa, brevisq; datur.
 Non poterant adigi grauiora huic vulnera seculo,
 Vnde irent tristes, & sine luce dies.
 Ipse vides quam mœsta Remi sint mœnia, quamq;
 Turbidus, & mœsto flumine Tybris eat.
 Quinetiam inde vias cursu mutare retorto
 Fertur, ab inuisa vt longius vrbe fluat.
 Assiduis merito hic tumet Adria fletibus auctus,
 Et repetit Bembi nomina saepe dolor.
 Anisit decus egregium, quod labile tempus
 Solibus inuectum restituisse nequit.
 Si quaeras, nequeat cum tantum æquare dolorem,
 Humano quaeuis Musa cienda sono,
 Cur ego flere velim, non fame hinc murmura venor,
 Sed tantum vt, vetitum est quod mihi flere, fleam.
 Si Lachrymae fieri quanta est mea vita valeret,
 Eq; oculis veluti flumina bina cadant,
 Quae scio me debere illi, nec debita soluam,
 Quicquid agam multo his & minus esse putem.

Abstu-

Abstulit officium fors dira pedisq; manusq;
 Et segnis iacco crimen onusq; tori:
 Non tamen haec, animus poscit quae munera gratas,
 Abstulit, & mentem qua velit ire finit.
 Nec cessere meo benefacta è pectore, quae te
 iam conferre mihi plurima iussit amor,
 Quorum ego non refero praesenti carmine grates,
 Est quoniam has verbis reddere velle pudor.
 Quod superest Sadolete, lege haec, nostriq; memento
 Vt prius: id tua si mens generosa facit,
 In Sadoletto etiam credam nunc viuere Bembum,
 Et mihi tu Bembus & Sadoletus eris.

AD VINCENTIVM RICCIUM,
 Reipublicae à secretis.

EXTINCTVS nostrae est vrbis decus, optime Ricci,
 Plurimus ingenio Bembus, & arte pari.
 Hinc mea vesano rumpuntur pectora questu,
 Et merito assiduis fletibus ora mandent.
 Quæro etiam quod casus poscit flebile carmen,
 Sed meditata vetat promere verba dolor.
 Sum velut is, remo qui cymbam impellit, agitq;
 Gnauius & retro ventus & vnda refert.
 Noui quam male Musa potest æquare, quod alte
 Mentem agitat, quæ iam nescia facta sui est.
 Flere tamen iuuat, & vanum exercere laborem:
 Nunc flebo, maneat dum mihi vita, virum.
 Huius enim magis est funus tacuisse pudori,
 Quam fletse, innumeras & meruisse notas.

ARVA quibus transire datum est Neptunia venti,
 Acquoris & sicco tangere summa pede,
 Qua sua cuiq; est, latum differre per orbem
 Hunc, nulla tolli qui valet arte dolor.
 Delitiæ perijt Phœbiq; nouemq; sororum
 Bembus, in Adriacis cretus & altus aquis.
 Nullus erit feriat simul ac is nuncius aures,
 Cui tristem fletus non lauet vnda sinum.

AD IACOBVM VONICAM, MEDI-
 cum excellentiss.

EST Vonica datum Phœbi tibi munus vtrunq;
 Et meritum gemino cingis honore caput.
 Cur cessas? tollenda mora est: nam funera Bemb,
 Inuidiosa Deis funera, flere decet.
 Vel deflendus is est, vel post quicumq; peribit,
 Infletus pereat, fletibus ora vacent.
 Egregium certè est, cum morbo vrgetur acuto,
 Aegrotum è medijs eripuisse rogis.
 Nobilius tamen est, vitæ iam luce carentem,
 Viuum ad supremos posse tenere dies.

SI fleuisse vnquam decuit, nunc flere licebit,
 Et fletus madidas flumina ferre genas.
 Ac licet in lachrymas absumas lumina, nullo
 Aequari poterit tantus ab imbre dolor,
 Qui magis assueto vexat mœrentia, quiq;
 Ipsa non leuius pectora morte premit.
 Si causam quaeras, Parnasi gloria Bembus,
 Notus & Eois, occiduisq; perit.

Tuscum audire potes crudelia fœta vo cantem
 Carmine, quo Musæ tristia flere solent.
 Te quoq; flere velim, cur non imitere Varage
 illum, naturæ est ars vbi facta comes?
 Si cantu iucunda tuo sunt secla, facisq;
 Vt Silis arguto carmine latus eat,
 Hinc tibi nulla tamen speranda est gloria, qualem
 Flenda adco Bemb funera fesse dabit.

GERARDO VELTVVYC, SE-
 renissimi Imperatoris con-
 filiaro.

NOVIT vbi ingenium, quo tu prestare videris,
 Ex omniq; tuam parte nitere fidem,
 Carolus ad Regem est ausus te mittere, cuius
 Cetera ab audito nomine terra tremit.
 Dumq; placere studes domino, nec te ulla fatigat
 Curarum moles, assiduusq; labor,
 Interea Bembus fors improba sustulit, in quo
 Id positum est, nulli Musa quod ante dedit.
 Bembus is est, quem ferre oculis, quem corde solebas,
 Dignus supremo visus honore coli.
 Hinc dolor, hinc me cogit Amor deflere, meisq;
 Non vilo lachrymis tempore finis erit.
 Te quoq; flere decet: pudor est non flere cadentem,
 Quo virtus viguit stante, cadente perit.
 Teq; ire in lachrymas Cæsar, Gerarde, probabit,
 Perq; oculos fluido spargere rore genas.
 Flebit & ipse hominum Cæsar mitissimus, omnis

In cuius pietas vivere facta sinu est.
Nos Bembum postquã haud licitum est decorare, fleamus,
Fletus is eximij pondus honoris habet.

AD FRANCISCVM BADVARIUM, literis & moribus apprime ornantissimum.

QVIS nobis flendum esse neget? Permessidos vnde
Et simul Adriacæ splendida fama perit.
Te quoq; flere decet patriæ spes maxima, quam tu
Iure patrocini, consilioq; iuues.
Hactenus innumeros poscit celebrata per annos
Hoc tua nobilitas, Palladiumq; decus.
Nec tantum tibi flere opus est, pereuntis oportet
Ipse vt suscipias, sustineasq; vicem.

VOS quibus æterna est custodia tradita Cyrrhæ
Pierides, Vatum numina sancta Deæ,
Aspirate precor, pariterq; assisite, Bembi
Dum fera morti etiam fata dolenda fleo:
Scitis enim quantum hoc pereunte amisimus vno,
Et quod nulla potest restituisse dies.
Quin & vos non flere nefas: nam maximus ille
Vester honos periit, nec rediisse potest.
Lumina sint lachrymis vestra hinc rorantia: iustus
Discite quàm possit cogere flere dolor.
Quodq; magis miserum est, si tempore flebitis omni,
Sit multum licet, id non erit omne satis.

S AN-

SANSOVINE, decus seclimemorabile nostri,
Vrbis & Adriacæ gloria Bembus obit.
Bembus obit, Bembus cui quicquid splendida virtus
Hactenus est vlli non dare visa, dedit.
Hinc audire licet suspiria crebra dolentum,
Perq; oculos lachrymæ fluminis instar cunt.
Ipse ego, qua possum, queror irreparabile damnum,
Nec tamen audita est nostra querela procul.
Optarem cum Sole olim durare dolores,
Quos me defuncti promere cogit amor.
Irrita sed ferri video meditata, velut cum
Exiguus sterilem diluit imber humum.
At tu, qui ducis viuos de marmore vultus,
Et veteres prima laude carere facis,
Nitere vt illius veniens mittatur in æuum
Effigies, vni quod tibi posse datum est.
Magna laboris erit merces, nam vestra manebit
Gloria iuncta, vlllo non soluenda die.

AD IACOBVM ANTONIVM
Benalium, Medicum & Poetam
excellentsimum.

BENALI Phœbus cum te hac ætate canendi
Et medicis clarum dotibus esse velit,
Cur tamen assidue muta exercebis in arte?
An solum à tanto lucra labore petis?
Quid faciat medicina, nisi releuare iacentem,
Cum tenet in pigro languida membra toro?
Sæpe medere etiam, si fas est dicere, quorum est

Dis penè inuitis restituenda salus.
 Quàm melius Bembum diuino carnine fleres,
 Quòd tibi post funus viuere posse àdicit,
 Quis neget hocambo fletu viuētis eodem,
 Alter & hoc viuus munere, & alter erit.
 Maxima ab ægrotis res est depellere morbos,
 Et fātī medica vi prohibere minas:
 Gloria sed maior pāsīm est audire fatentes,
 Quòd tua defunctos viuere Musa facit.
 Castalidum Bembus perijt spes prima sororum,
 Et simul Adriacæ concidit vr̄bis honor:
 Hinc pietas, & religio, probitasq; pudorq;
 Fœda nimis iustis fletibus ora gerunt.
 An ne prius perijsse decet, diademate frontem
 Quàm cinctus triplici conspiciendus eat?
 Iam iam spes abeat Saturnia regna videndi,
 Et sperasse olim somnia pura forent.
 Parcite cœlestes, fieri cum talia cernam,
 Omnia, quæ faciitis, casu ego facta puto.
 Vlla etenim sī vos terrarum cura teneret,
 Tam fera quī possem credere monstra dari?
 Pauper Aristides, & sunt data sceptrā Neroni:
 Ille adeo iustus, sc̄auus hic absq; pari.
 Nec mirum est, quando esse ferunt duo dolia sortes,
 Vitam ingressuro Iuppiter vnde trahit.
 Nec iubet hoc ratio, facit hoc non vlla voluntas:
 Copia & inde boni prouenit, inde mali,
 Si veri exortem fabellam credere mauiis,
 At res (mens nisi sit cæca) docere potest.

A D

A D A V R E L I V M A R B O R -
 fanum, Iureconsultum pro-
 batissimum.

T A L E M operam legum studio impendisse videris,
 Primus vt in Veneto nunc habere foro.
 Pangere Apollineo memini te carmina tornō,
 Qualia sint prisco tempore sueta legi:
 Mansurum hinc poteris extendere nomen in auum,
 Irritaq; indomita reddere tela necis.
 Arborsane tamen sequeris, quòd lumina postquam
 Clausimus, umbra velut sole abeunte fugit.
 Fortè putēs latis palatia condere campis,
 Hoc esse, vnde hominis fama superstes eat:
 An dites pauci vixere, obliuio quorum
 Nomina, quo pacto corpora terra tegat?
 Emendare moram potis es, si funera quæ non
 Flere deos pudeat, tu quoq; flere velis.
 Ille perit Bembus, quem noctes flere diesq;
 Non satis, & cuiquam est æquiparasse pudor.
 Quæ fletus merces fuerit, si nosse laboras,
 Semper erit Bemi gloria iuncta tuæ.

B E M B V S in hoc tumulo situs est, cui fronde perenni
 Supremo Phœbi munere cincta coma est:
 Purpura post superimposita hunc geminauit honorem,
 Non æquus meritis creditus ille prior.
 Hic quocumq; potest verum fictum uē probari, est:
 Quicquid virtutem spernit, & odit, abest.
 Func igitur vr̄bis, tacito cole pectore, quamuis
 Et videre tamen non coluisse satis.

AD ILLVSTRISSIMVM ET
 excellentissimum Cosmum Medicum,
 Reipublicæ Florenti-
 næ Ducem.

NON ego te laudare velim Dux maxime, quod tu
 Præclaro Medicum es genitus de semine, quorum
 Inclyta tam latum penna trepidante per orbem
 Fama volat, linquens radios virtutis ubiq;
 Vita quibus discat quod sidera celsa petuntur:
 Et dum spirat adhuc sese spoliare caduco
 Si refram ostendit domus hæc: quod lumina terris
 Irritus omnis eat labor, & frustrata voluntas,
 Tale mihi nil Musa dedit, concessit Apollo.
 An ne magis deceat laudes celebrare parentis,
 Qui dum bella manu gereret Martemq; ciceret,
 Abstabant illi comites letumq; timorq;
 Hectoris Acacidaeq; minas ut sperneret vnus?
 Ipsum ego crediderim Martem inuidisse videret
 Horrendum, posita penitus formidine ferro
 Exerto, exultans iuuenis per tela, per hostes
 Quod rueret, nulloq; foret violabilis ictu,
 Tam procul ire iubet pugnantum cognita virtus.
 Hoc ne etiam memorem quam diues Hetruria gaudet
 Imperijs parere tuis? ceu subdita patri:
 Abs te nil metuens, bona sperans omnia, vidit,
 Nestoreosq; tibi votis petit omnibus annos.
 Non laudo hæc, per se quoniam laudata videntur
 Ipsa satis, laudanda tuæ sunt grandia mentis
 Munera, sunt animi dotes: quando omnia laudum

Te ge-

Te genera hucusq; inuenta, hinc meritum esse putarim,
 Quicquid & ingenij valent nunc viribus addi,
 Immenfos auri non tu meditaris aceruos
 Colligere, & seruare animæ in penetralibus, vnde
 Nulla dies, & vix veniens mors eximat, vt mos
 Illius est cui terra placet, cui viuere dulce est,
 Vt pecora hinc atq; hinc lætum tondentia campum:
 Tu, si quem virtute audis florere, vocari
 Et prece, vel precio, tecum facis esse, fouesq;
 Nec digito pateris discedere longius abs te:
 Hoc signum est animi virtutum semina nascens,
 Qui secum attulerit, veluti lapis ille, propinquat
 Ferrum vbi, natura id suadente trahitq; tenetq;
 Nec, nisi vi, pacto finit hoc auellier vilo.
 Ac nec priuatim, aut illa virtute moueris.
 Sed desiderium cunctarum in pectore gestas,
 Quotquot vel studium parit, aut natura ministrat,
 Quodq; ego vera loquar, testis manifesta voluntas
 Illa tua est, qua te Bembi ossa ornare sepulchro
 Decreuisse ferunt, ne tanti nomina votis
 Nescire vlla queat lustris labentibus ætas.
 Macte animi virtute, deum tibi Numina præstent
 Perficere id, quodcumq; pares, quodcumq; mineris
 Egregium famamq; simul, quæ terminet astris,
 Regna dari decet & scepra imperialia, tanta est
 Cura quibus virtutis, & irreuocabile votum
 Cosmice: sed his ego pro meritis quæ reddere possum
 Præmia? quas grates? dabit hæc tibi gloria facti,
 Atq; animus secum meditans quid fecerit, & quam
 Supra alios vere mercatur murmura famæ:

Quod possum nostris precibus regnator Olympi
 Annuat, & tibi det tranquillam ducere vitam,
 Cuius non ausint incidere fila sorores,
 Tu nisi viuendi satur id cupiasq; petasq;
 Inq; tuas laudes laticem Permeſidos æquet
 Arnus, & Aonio huc properent de vertice Musæ,
 Vnica & euadat Florentia regia Phœbi,
 Vnde petant quibus ora rigent sitibunda Poetæ,
 Flumina quæ Smyrna hauſit, quæ Mantua postquam
 Hauſit, & gneos ausa est emittere cantus.
 Hic Cosmum resonent arguto carmine colles:
 Cosmum iterent hilares audito nomine valles:
 Audiat, & voces lætissimus approbet ær.

AVG. BEATI ANI LA-
 chrymarum Finis.

LAZARVS BONAMICVS AD
 Torquatam Bembum.

SICVI perpetuam vitam natura dedisset,
 Effet nimirum tibi nunc Torquate dolendum,
 Quod pater æternis Bembus dignissimus annis,
 Liquisset terram, vario quam ornabat honore,
 Seu Tusca vellet cithara, seu voce Pelasgæ,
 Seu Latio potius depromere carmina cantu.
 Iam si res gestas patriæ, & Mauortia bella
 Scriberet intacta, multo niue purius atq;
 Candidius, paucos illi præponere posses.
 Quid dicam placidos mores, mentemq; benignam,

Quoue

Quoue vel immanes potuisset fletere sensus,
 Vultumq; alloquiumq; senis non dulcior ore
 Sermo, olim Pylis redolens manare solebat
 Hyblæos flores, his te Torquate dolere
 Arbitror, & quis non doluit? quis funera magni
 Non cecinit vatum Bembite maxime Paule
 Pontificum Bembo lachrymas fuisse sepulto
 Commemorant, adeo patrum interuisse putabas
 Summorum lumen, quorum caput insula sacrum
 Ostro imbuta tegit, tibi quos pater optime magno
 Iudicio cunctis quæſitos vndiq; terris
 Legisti, nostri & venturi (vt creditur) eui
 Ornamenta. Quis ex animo non lugeat imo,
 Ingenti & longo virtus vbi parta labore
 Occidit? humanis donum rarum ab Ioue rebus.
 Talia deploras (mittam vt quamplurima) tecum
 Fortassis Torquate, tuamq; hoc flore iuuentam
 Orbatam, & multis tali sine patre relictam
 Casibus, hos tantos chari genitoris amores
 Laudarem, iustosq; pio sub pectore questus,
 Si redeat sanguis casto iam luce parenti,
 Aut hominum si quis Stygiis non iret ad vndas.
 Nunc verò cum Meonides, quem dulcibus ipsæ
 Ambrosiæ succis, & largi nectaris vndis
 Musæ aluerè sibi, clarum cum Mantua nomen
 Ille tuum vates, opus immortale fororum
 Occiderint: comes his cum Thusæ gloria linguæ
 Cuius in ore, nouo dum carminè cantat amorem,
 Ipse insedit amor dulci facè molliter ignes

P P P

Inspirans, dulcesq; serens in pectora curas.
 Interdum rapitur sublimis in æthera pennis
 Ingenij, caput & fulgentibus intulit astris.
 Et tamen is cum olim vitali excesserit aura,
 Non Torquate decet te nunc lugere parentem,
 Mors etenim nulli parcit, nec flenda senectæ
 Debita, quæ vitæ sæuis irrepsit annis,
 Perpetuo vitæ post commoda multa tenore,
 Ut Bembo Torquate patri euenisse videmus:
 Cui natura dedit patriam, qua Phœbus utrunq;
 Occanum aspiciens, seu cum se flectit ad Vrsas,
 Seu redit à nobis fugiens nil pulchrius vsquam
 Aut maius circum videt, aut illustrius orbe,
 In toto egregio Bembe de sanguine gentis.
 Hic patris primum studio, curaq; fideli,
 Et Thuscæ & Latiae prima incunabula linguæ,
 Mox tenerum effingens docuit Ferraria pectus
 Omnia, quæ quondam doctis celebrauit Athenis
 Integer, impatiens sceleris, virtutis amator,
 Et dulcis morum & vitæ emendator acerbus,
 Et diuum cultor sanctissimus: omnibus vnus
 Ex Græcis ipso sapiens ab Apolline dictus.
 Inde animo ardenti Siculas traiecit in oras,
 Græcorum liquidos cupiens haurire liquores.
 Nec mora, cum subito Græcæ audiueret loquentem
 Musurusq; senex, simul & studiosa iuuentus,
 Aetnæi vidit rediens incendia montis,
 Eruptosq; ignes, exesaq; saxa vomentis,
 Descripsitq;, suo iuueniliter ordine totum.

Quo

Quo decus Europæ docti cecinere futurum,
 Et mirata senem primas Europa ferentem est.
 Multa tibi in medio consultò nota relinquo,
 Cunctis vt charus, cunctis iucundus amicis,
 Principibusq; viris placuit, dulcisq; iuuentæ,
 Aetatem extremos vitæ vt perduxit ad annos,
 Inualidus nunquam, semper virtute vcrendus,
 Numina quæ raro concedunt munera nobis.
 Utq; esset nihil in terris accidere, quod iam
 Posse videretur magnus, quo tempore Paulus
 Tertius amissos Romæ instaurabat honores,
 Delectus numerum in Patrum. Te sancte vocabat
 Te Deus in coelum confectum ætate, beatum
 Inter cœlicolas quondam æternumq; futurum.

Salue Bembe, valeq;, Deumq; precare benignus
 Ille tuo vt Torquato adsit, mentemq; animumq;
 Dirigat in melius, virtutis præmia querat,
 Ad laudem egregiam tua per vestigia currat,
 Deponat lachrymas, ingrataq; funera: nam tu
 Viuis, in æternum & viues:suprema tulisti
 Omnia: quin etiam vera & germana propago
 Ille Heros Medicum Cosinus Dux maximus, huius
 Dux seclî, Italiæ iustissimus vnus, & vnus,
 Vnus qui priscae solo virtutis honore,
 Ante alios cupiat virtutem extollere in altum,
 Marmoreo vt decoret curat te Bembe sepulchro;
 Solemni elatum pompa, exequijsq; solutis,
 Et lapide ex Pario priscos æquantis honores
 Artificis cum docta manus te duxerit, inter

Ppp a

Apparat, vt ponat Thusc. e tria lumina linguæ
 Visendum, celebriq; loco celebriq; decore
 Artis, qua Michael sese super euehit astra
 Angelus, & vultus, spirantiaq; ora figurat.
 Vt faciat quoties iter hac, te Bembe salutet,
 Ingenijs gens clara fluit quæ vitreus Arnus,
 Florentem & mediam studijs interfecat urbem.
 Optari an poterat quicquam felicius vlli,
 Aut mirabilius post secula longa priorum,
 Quam talia tali donari principe laude?
 Nil (mihi crede) tuo poterat Torquate parenti
 In vita melius, nihil hic contingere maius
 Post mortem, poterant versis incurrere fatis
 Multa tamen longæ quæ sunt incommoda vitæ,
 Qualia multa tulit fortunæ cæca potestas,
 Vt patrem hac liceat quoq; dicere parte beatum
 Cuius tu rerum, tanti tu nominis hæres,
 Et famæ ingentis, quam si virtute tueri
 Aut augere velis, merito nihil amplius optes.
 Pelle agedum procul hinc à te lugubria, nosq;
 Laudemus, tu verò etiam hunc imitare parentem,
 Vt clarus viuas, longumq; extensus in æuam
 Dignus vt hoc viuas, dignus mori are parente.

NICO-

NICOLAI STOPII IN FVNERE

REVERENDISS. CARDINALIS

Bembi Epicedion.

FVNERA Thespiadum Bembi pia turba sororum
 Plangite, nam numen quod peramastis abit.
 Si modò naturæ fas est indicere bellum,
 Bella nec immeritò suscipienda manent:
 Omnibus ornastis præclaris dotibus vnum,
 Quem constat Charitas excoluisse simul.
 Effera mors miseræ hunc naturæ cedere iussit,
 Ah sine delectu est imperiosa nimis:
 Lævia tres sæuæ si truncant stamina Parcæ,
 Gaudia tres Charites non peritura parant.
 Nam pia quum tetricæ spernunt consortia Parcæ,
 Est Charitum constans atq; perennis amor.
 Felix qui Charitum sucrit delectus alumnus,
 Hic bonus & prudens atq; beatus erit.
 A teneris Bembus fuit ijs gratissimus annis,
 Naturæ cunctos dotibus exuperans.
 Maximus euasit, Romanæ gloria linguæ,
 Dulcius haud Tulli fluxit ab ore melos.
 Purpureo tandem merito decoratur honore,
 Cingeret vt triplex ritè tiara caput.
 Ast hunc humanis rebus dira insidiatrix
 Mors damnosa rapit, quid modò plura feram?
 Mortem obijt seculi ornamentum, heu tristia fata,
 Gaudia quid nobis inuida Parca rapis?

Ppp 3

Inuida Parca rapis (nihil est) vaga gaudia mundi,
 Non peritura manent atq; beata pijs.
 Mors secunda bonis, hanc vitam mutat acerbam
 In dulcem, hoc Christi mors tulit vna suis.
 Hunc ergo ad superum traxit consortia, caelo
 Nam mens quam terra dignior ipsa fuit.
 Sed lachrymae cessent, cessent suspiria Musae,
 Iam superest virtus cuncta per ora volans,
 Illius exemplo studia et componere vitam,
 Hac decet ut norma nobiliore frui.

CARMINVM LIBRI
 FINIS.

OPERVM BEMBIN.

DEX. PRIOR NVMERVS TO.

M V M, POSTERIOR

paginam indicat.



- Egidius ordinis Augustinianorum
 Eremitarum magister, linguarum
 peritissimus 2.266
 Aemulatio et spes egregiae plurimarum rerum confectrices 3.36
 Aetnae montis descriptio 3.46.
 Aetnae montis fertilitas 3.53
 Albertus Pius Carporum princeps, homo vaser et callidus 1.296
 Alexander Borgia Valentinus Pont. Max. creatur 1.37
 Alexander Pont. Max. et Alphonsus Neapolitanorum rex foedus vna percipiunt 1.49
 Alexandri Pont. Max. barbara crudelitas in Vrsinae gentis principes in gratiam Caesaris sui filij 1.248
 Alexander Pont. Max. veneno quod Adriano Cardinali parauerat, extinguitur 1.250
 Alexander Nanius ad questionem vocatus 2.33
 Alexander et Hieronymus Senesces rebus bellicis praefecti, ad portum Herculis se conferentes, portum atque arcem occupant, expulsi Augustini Ghisij copijs 2.161
 Alexium triquetra insula 1.210.
 Alphonsus Ferrarien. Dux reip. vicarius 2.123
 Alphonsus Ferrarien. Dux Romam proficiscitur, et cur 1.529
 Aloisius siue Ludouicus re-

I N D E X.

- gno Gallie inauguratur, legatq; Veneti ad eum ire iussi gratulatum reip. nomine 1.158
- Aloisius siue Ludouicus Gallie rex, Mediolanum armis sibi vindicare parat, aduſis sibi Venetis 1.159
- Alexãdri Pont. Max. in corradenda pecunia calliditas 1.210. & 211
- Aliquod malum permittit Deus ob eximium rerum optimarum cuentũ 2.97
- Alphonsus rex Neapolitan. fuga sibi cõsultat, rebus suis planè diffidens 1.56
- Amor auro cõciliatur 3.134
- Ambitio locum in omnibus rebus pub. semper occupauit 1.36
- Anconitani ciues decem à Rom. Pont. vocati 2.14
- Angeli Politiani præposterum iudicium de imitandiratione 3.19
- Andreae Alciati emblemata 2.636
- Annæ reginæ Gallie mortuæ laus 2.148
- Anna Candala Aquitana V. Ladislao Pannoniæ regi nupti traditur 1.249
- Antonius Grimanus classis præfectus re infeliciter cũ Turcis gesta à Senatu accersitur, exilioq; damnatur 1.181
- Antonius Maria Seuerinas imperatoris filius, equestri pugna Georgium Sondernbergiũ adoritur, infelici Marte congressus 1.8
- Antonij Minij oratio ad plebem Venetam 3.229
- Apelles pictor eximius 3.19
- Aquilarum natura & mos. 3.95.
- Aquilarum in discriminando foetu generoso ab ingenoroso perspicacitas 3.95
- Antiquorum in scribendo mos 3.125
- Antonius Maria Seuerinas patrem periclitantem contra fertissima hostium acie liberat 1.10
- Arcopagitarũ iudiciũ mos. 2.607.
- Angelus classis Venetæ præfectus ob rem infeliciter cũ Ferrariensibus gestam probris incesitur 1.400
- Aristotelis eloquẽtia, ex præfatione Pici libro de Imitatione.
- Armenij Venetias se conferentes comiter & liberaliter accipiuntur 1.137
- Armilla aurea Lucretiæ 3.166
- Attalus Pergami rex 2.572
- Augustini Barbadici Venetiarum ducis mors 1.214
- Augustinus Coppus ab exilio reuocatus 2.134
- Autoritas & ratio Germanæ viæ ad indagãdam veritatem, ex præfatione Francisci Pici lib. de Imitatione.
- B
- Baiaſetes Turcarũ rex Caroli Gallorum regis vires & potentiam reformidat 1.60
- Baiazetis nouæ impressiones in remp. Christianam deflagrant 1.193
- Bartholomæi Riccij Sylua 2.643.

I N D E X.

- Baldeſſar Caſtilionius Mantuanus, vir clarissimus 2.162
- Bellum Venetis à Legato regis Gallie indicitur 1.306
- Bellum nauale cum Baiazetis classe 1.177
- Bellum nauale non longè à Genua cõmissum 1.449
- Bellum Bononiense quomodo confectum 2.546
- Bembi epistolæ nomine Leonis scriptæ, quasi illius regni historia 2.4
- Bentiuoli fratres à Rom. Põ. nutu pèdere cogũtur 2.47
- Bentiuoli fratres reditum in patriam armis parant 2.199
- Bentiuoli cum Gallis Bononia, fugato Iuliano præsidio recipiuntur 1.470
- Bentiuoli relicta Bononia sese Iulij interpretibus dedunt 1.527
- Bellum inter Maximilianũ Imp. Hispaniæ regẽ, Henricum Britannia, et alios 2.139
- Benciolentia atque amoris Ppp 5

I N D E X.

- ius omnium optimum atq;
maximum 2.317
- Bernardinus Carauialis e-
piscopus, & Federicus Se-
uerinas ad pedes Pontifi-
cis procumbunt 2.73
- Bernardus Bembus prætor
Bergomensis 2.734
- Bernardus Bibiena Leonis
X. quæstor 2.17.29
- Bergomates Gallos eiiciunt
1.515
- Bombizæ virtutem magno
vsui ciuibus suis fuisse 1.
500
- Bretinorum temeritas 2.33
- Brixiani Ludouico Gallicæ
regi deduntur 1.331
- Brixia iterū à Gallis capta
ac miserrimè direpta
1.519
- Brixia Gallis eripitur deden-
tibus se ciuibus 1.514
- Bruti iudicium de Cicerone,
ex præfatione Pici de Imita-
tione
- C
- Caroli octauæ regis Gallicæ
ad senatum Venetū legatio
1.41
- Carolus nouam expeditio-
nem in Italiã parat 1.125
- Carolus Rex Gallicæ, inuito
ac fremente Alexãdro Ro-
mam ingreditur 1.55
- Carolus regnum Neapolita-
num ingreditur 1.58
- Carolus in Galliam reditum
parat 1.64
- Carolo insidiæ à Venetis
Maximiliano et Alexãdro
struuntur 1.61
- Carolus suis ad mille inter-
fectis, & aliquot nobili-
bus desideratis, elabitur,
ac celeritate sibi consulit
1.76 & 77
- Carolus Astam, fugæ finem
faciens ingreditur 1.80
- Caroli filius tres annos na-
tus moritur 1.100
- Caroli regis Gallicæ immatu-
ra mors 1.138
- Cæsaris in scribendo candor
3.27
- Cæsaris Borgiæ audax faci-
nus 1.206 & 207
- Cæsaris Borgiæ proditorius
animus 1.241
- Cæsar Borgia Alexãdri Pon-
tif.

I N D E X.

- tif. filius, repudiato sacro
magistratu armis vrbes I-
talicas infestat 1.185
- Caictana seditio ac clades
1.87
- Cardinales nouem Iulio de
Concilio indicendo verba
faciunt 1.475
- Cassianorum exulum auda-
cia 2.119
- Castri Cornelij egregia Ru-
beorum familia sibi vendi-
cat 2.192
- Catherina Cypri Regina ci-
uis Veneta 1.20
- Catherina Cornelia Cyprij
regis vxor iam etate deue-
xa moritur 1.429
- Causæ Regum & discepta-
tiones à Concilio Latera-
nensi iudicari debent
2.40.42
- Causa discordiarū inter Ma-
ximilianum & Venetos
Pont. permiffa 2.107.117
- Celsus & Columella clari,
nitidi & præsi, ex præfa-
Pici de Imitatione.
- Certamen singulare à Iulio
Pont. prohibitum 2.85
- Cereres templum cur à vete-
ribus in Actna monte con-
stitutum 3.54
- Christi sectator is, qui facilè
pluribus ignoscit 2.57.60
- Cicronis facundia quanta
2.548
- Cimmerij Luci 3.100
- Columellæ diligentia 3.27
- Columbus Ligur noui orbis
inuestigator 1.216
- Concessionis Pontificiæ non
infringendæ 2.86
- Concilio Regum & magno-
rum principum contro-
uersiæ dirimi debent 2.10
- Cōtrouersia sedata inter Im-
peratorem & Venetos
2.150
- Contarenius vir ad bella ge-
renda natus moritur 1.108
- Cornelius & Curtius histo-
riographi diuersam viã cu-
raverunt, ex præf. Pici de
Imitatione.
- Cornelij adhortatio ad Sa-
rorem Cypri Reginam, vt
Venetiã se conferat 1.23
- Cotignola oppidum dedi-
tur 2.52

I N D E X.

- Cremona Venetis deditur
1.168
- Cypri Regina Venetias se-
cundo vento appulit 1.25
- D
- Dantis Tertij Aligeri sum-
m. in scribendis carmini-
bus felicitas 2.540
- Davidis regis Abissinorum
cultus in Leonem & obser-
vantia 2.211
- Dare litem secundum ali-
quem, ex præfat. Francisci
Pici de Imitatione
- Decimarum exactio remis-
sa 2.113
- Decemvirorum lex, ne sus-
fragia apertè iniretur 1.26
- Delectus octies mille pedi-
tum Heluetiorum habe-
tur 2.376
- Disciplinae duæ in studijs li-
terarum Regibus Impera-
toribusq; præter alias ex-
petendæ 1.606
- Discordiae gliscunt inter Ma-
ximilianum Imp. & Lau-
redanum Venetorū prin-
cipem 2.115
- Dolor nullus qui non diu-
turnitate molliatur 1.570
- Dominicus Maurocenus vir
sapiens & ætate proclina-
ta, bellū inferre dissuadet
Maximiliano 1.280
- Duellum lege diuina vetitū
2.320
- E
- ECclesiæ Adrianae fructus
restitui iubentur 2.35
- Elisabetha Urbini domina,
fœmina innocentissima
1.569
- Eeleutherius Ruschus comes
Lurcanensis 2.209
- Empedocles quibus usus ar-
mis ascensurus Aetnani
3.64
- Episcopus Vuigormiësis Bri-
tannia Legatus 2.24
- Episcopi Galli à Romana ec-
clesia alieni 2.288
- Episcopatus Toletani parti-
tio 2.394
- Epirotarum equitum stipen-
dia reip. facientium, indu-
stria singularis 1.372
- Epirotarum equitum strata
gema 1.379
- Esinae urbis ciues x. Romam
profi-

I N D E X.

- profiscuntur 2.4
- Esini Anconitanum agrum
depopulantur 2.14
- Exhortatio ad publicam pa-
cem 2.138
- Execrationum Iulianarū vo-
cibus percussi 2.81
- F
- FAuentini in fidem Veneti
Senatus recipiuntur 1.98
- Fabricius Columna egregiæ
virtutis vir 1.457
- Factiones miserrimæ Floren-
tiæ gliscunt 1.54
- Federici Salernitanorū Ar-
chiepiscopi clarissima de
Pœnis victoria 2.324
- Federicus Fregosius reslan-
tem sibi fortunā æquo ani-
mo fert 2.556
- Federici Fregosij inductio
animiq; in Leonem pro-
pensio 2.97
- Federicus Imperator varia
ditionis Venetorum loca
perlustrat 1.27
- Federicus mortuo Ferdinan-
do, regno Neapolitano in-
auguratur 1.110
- Ferdinandi regis Hispania-
rum mors 2.273
- Ferdinandus varia fortuna
iactatus, tandem Neapoli
potitur 1.88
- Ferrarienses à Iulij & reip.
copijs infestantur 1.441
- Ferrariensibus magna cla-
des à Venetis infertur
1.396
- Feretria gēs peruetus 1.583
- Federicus Delphinus clarus
mathematicus 2.696
- Finarij Cardinalis excellen-
tis viri mors 2.201
- Firmani exules magna ar-
matorum hominum manu
coacta, oppidum Firmanū
ui ingrediuntur 2.171
- Florentina nauis sale Ebusi-
tano onusta, à præfectis tri-
remium Genuensium capi-
tur 2.508
- Florentinorū legatio ad Se-
natum Venetum 1.51 et 52
- Fœdus inter Venetos & Lu-
dovicum Gallorum regē
2.30.
- Fœdus percutitur inter Ma-
ximilianum Imper. & Lu-
dovicum regem apud Ca-

I N D E X.

méracum 1.297
Fœdus inter fœderatos & capitales Caroli octavi hostes sancitur 1.63 & 263
Fœdus Pont.max. cum Heluctijs 2.82
Fœdus inter Leonē & Franciscum Galliarum regem icitur 2.258
Fœdus à Julio, Ferdinando, Venetis, & Britanniae rege percutitur 1.601
Foivus heros Gallicus præstantissimus 1.516
Foivus Gallorum dux impiger moritur 1.523
Fœminarum indoles qualis 3.153
Fortunate insule 2.216
Franciscus Galliarū rex Bononiam appellit 2.263
Franciscus Maria & Urbinatium dux copiarū Leonis imperator 2.162
Franciscus Maria Urbinatū dux Iulij secundi pont. max. fratris filius, proditionis suspitione à Leone purgatur 2.178
Francisco Mariæ Urbini du

ci igni & aqua à Leone interdicatur 2.336
Franciscus Mariani Scottij filius, iussu Leonis x. in carcerem conijcitur 2.144
Franciscus Mantuanorū dux à Maximiliani ducibus stipendio donatur 1.367
Franciscus Mantuanorū princeps carcere liberatur, copijsq; reip. Venetæ præficatur 1.431
Franciscus Gonzaga Mantuae princeps cataphractis militib. à Senatu præficatur 1.26
Francisci Maurolici Messanen. Dialogi de cœlo et elementorum astrorumq; rationibus 2.696
Franciscus & Paulus ciues Vicetini nobiles in mari capti 2.65
Fregosij à reip. administratione prohibiti 2.70
Fruentaria lex 1.82
Fulmē Iulij Pontificis in Venctos 1.313

G

Gallorum indoles 1.80
Gol-

I N D E X.

Gallorum cum Venetis anceps ac cruenta pugna 1.74
Galli apud Nouariam superati 2.56
Gallorum copiae in tres acies instructæ cum hostibus dimicaturæ 1.71
Galli à Rege Britanniae vincuntur 2.110
Eiusdem victoria contra Scotos Ibi.
Gallici morbi origo 1.113
Gallica nauis homines septē agrestes vultu prodigioso nauicula vectos capit 1.294
Galli suis fugatisq; ac captis Venetorū copijs, victoria præter spem potiuntur 1.322
Galli milites Boiorum duce ac præfecto Mediolanensium, Carpi et Mirandulæ fines deuastant 2.303
Galeacius Palauicinus Cataphractorū præfectus 2.26
Gasspar Selinus Heluctiorum cohortis prætoriae præfectus 2.391
Germani ad arma capiendā prompti 1.11

Georgius Petreplanæ princeps Tridētinis suppetias fert 1.15
Gentilis Martianus turpiter confossus 2.490
Gemmis ac margaritis Fortunatæ insule à Lusitanis & Hispanis inuentæ abundant 1.223 & 224
Gesta apud Soram 2.178
Genueses reluctantē Iulio Pont. Gallis parere coguntur 1.435
Genuesium et Rhodiorum confœderatio 2.13
Gigantes cur Telluris filij diti 3.54
Guidi Vbaldi viuax memoria 1.604
Guidus Vbaldus Franciscum Mariā sororis filium adoptat 1.628
Guidi Vbaldi Ducis Urbini mors 1.548
Guidoni Vanie facultas vbiq; gentium cōmorandi à Leone X. cōceditur 2.52
Guido Rangonius ab Vgone Pepulo necessario & propinquo suo ad singula

I N D E X.

- re certamen prouocatur 1.521
 2.176
 Georgius Sonnenbergius, iuuenis acer & fortis turmae equitum Germanorum praefectus 1.8
 Guisae domini Regis Galliae Legati prudentia 2.280
 H
 Helueticorum declarationem Episcopo Gebnensi factam, rata non habet Pont. Max. 2.49
 Heluetij ecclesiasticae libertatis defensores 2.81
 Helueticorum studium erga Leonem decimum 2.209
 Heluetij multa praecleara facinora Rom. Pontif. auspicijs gesserunt 2.227
 Helueticorum alacritas ac strenuitas in bellis gerendis 2.255
 Heluetici pagi octo, foedus cum Francisco Gallorum Rege percutiunt 2.277
 Helueticorum legati duodecim ad Urbem veniunt, ut cum Iulio, Ferdinando & Patrib. bellum Gallis inferrent 1.521
 Heluetij stipendia reipub. facere gestiunt 1.508
 Heluetij de componendis Maximiliani Rom. Imp. & Fr. Gallorum Regis controuersijs solliciti 2.289
 Hercules Ferrariensis Dux bellum Pisanum Senatus nomine, Florentinorumq; consensu sedat ac dirimit 1.162
 Hermolaus Barbarus Patriarcha Aquileiensis creatur 1.31
 Hermolai labor in castigandis Plinianis corruptis locis 3.75
 Henrici Britanniae Regis religio in Rom. Po. 2.24.25
 Henrici Regis Britanniae laus 2.39
 Hispani Gallis & Germanis callidiores 1.406
 Hispanorum strages in Padia ripa 1.511
 Hieronymus Rhearius Fori Liuji & Fori Cornelij dominus a suis ciuibus trucidatur 1.19
 Hieronymus Vicus legatus

I N D E X.

- tus 2.28
 Hostes omnes non funditus perdendi 2.57.58
 I
 Iacobi Synceri Sanazari scripta cum vernacula tum Latina 2.536
 Iacobus Sadoletus ciuis Ferrariensis Leoni a comentarijs fuit 2.205
 Ianus Parrha. ludo literario Rom. praeficitur 2.210
 Illuies maxima 1.44
 Imagini diuae Virginis Laureanae phanum celebre construitur 2.181
 Imitatio vnde petenda 3.23
 Imitatores solidi 3.24
 Imitationis definitio secundum Ciceronem 3.25
 Imperator maximum post Christu Vicarios in terris magistratum gerit 2.74
 Innocentius Pont. Max. controuersias inter Sigismundum & Venetos ortas diruere iuuatur 1.17
 Inuertio est quasi materia orationis. ex praef. Pici de Imitatione.
 Induciae sex mensium inter Carolum & Hispaniae reges 1.132
 Indocti librarij vellicantur 3.124 (3.28)
 Infans biceps Patavij natus in homines non durius agendum quam ipsa humanitas postulat 2.123
 Innocentius pont. max. moritur 1.37. & 38
 Io. Petrus Gonzaga Nuuolari. comes homines rebelles recipit 2.125
 Io. Bentiuclus Bononicus princeps Venetias inuisit, a Senatu liberaliter acceptus 1.19
 Io. Petrus Gozaga, Regius ad summam certam pecuniae sibi persoluenda cogit 2.173
 Ioannis Lascaris Constantinopolitani laus 2.260
 Ioan. Boierdi impetus in ciues Mutinenses 2.103
 Ifoeratis iucunditas, ex praef. Pici de Imitatione.
 Iupiter Feretrius vnde dictus 1.583

I N D E X.

- Indicium de argumentis Terentianis* 3.112
Iulius secundus Pont. max. creatur 1.251
Iulius non pro pontifice, sed carnifice omni crudelitate prædito à plebe Veneta habetur 1.348
Iulij pont. vasrum ingenium 1.414
Iulius Gallorum opes & potentiam reformidans Helueticorum aliquot millia cõscribenda curat 1.425
Iulius Alphonsum Ferrariensium ducẽ grauisimo prosequitur odio 1.438
Iulius Venetos interdicto abrogato in fidem recipit 1.409
Iulius Ludouicũ Gallorũ regem pari quo Alphonsum prosequitur odio 1.439
Iulius pont. bellator inçlytus Mirandulam expugnat 1.462
Iulius fulmen vibrat in Gallos Alphonsi propugnatores 1.457
Iulius homo martius & turbulentus, Bononienses, nisi Romano pareant pontifici, deuouet 1.475
Iulius Hispanis duobus & Gallis totidẽ qui conciliũ Pisanum coegerant Cardinalatum abrogat 1.505
Iulij secũdi pont. max. mors 2.819
Iulius Medices Archiepiscopus Florent. 2.17
- L
- L** *Auredanus Venetiarum princeps creatur* 1.227
Lauredani ducis Venetiarũ oratio ad plebem 1.233
Lauretij Massuli liber de laudibus Historiæ 2.733
Laurentius Medices Florentinus moritur 1.37
Laurentius princeps Ceretinus reip. stipendio obstrigitur 1.427
Laurentij Ceretini & Vitellij singularis industria in muniendo vico Catholica 1.477
Leonis X. Pontif. max. inauguratio 2.75
Leo X. se à Deo vocatum vicarium

I N D E X.

- carũ iactitat* 2.22.23.26
Leonis X. adhortatio ad Sigismundũ Poloniæ regem de sedandis inter eum & Albertum Prusiæ dominum controuersis 2.10
Leonis X. apparatus pro defendenda Rhodo 2.156
Leonis X. ad Rhodios milites adhortatio 2.16
Leonis X. in Regienses propensitas 2.18
Leonis X. studium in regem Galliæ 2.21
Leo X. cõtrouersias ad imperiũ Germaniæ pertinentes, ad conciliũ Lateranense trãsserre conatur 2.23
Leonis X. munus seu eleemosyna 2.26
Leonis X. adhortatio ad Ferdinandum Hispaniæ regẽ de cultu Rom. sedis 2.28
Leo X. consilia Venetorũ sibi cõmunicari vult 2.30
Leo X. Ferdinandum Hispaniæ regẽ in suam sententiã trahere conatur 3.158
Leo Herculis Alphonsi Ferraricensis ducis filij susceptor 2.209
Leo Pont. gratulatur Genuẽsiũ Magistratui ob profugatos eorũ hostes 2.226
Leonis adhortatio ad bellũ in Turcas parandũ 2.268
Leo dissuadet Vladislao Poloniæ regi ne pacem aut induciis conficiat cũ Turcarum Rege 2.276
Leges duræ à Senatu Veneto feruntur 1.484
Lex Decemuiralis de sacerdotijs abrogatur 1.413
Lex à Decemuiris contra ambitum qui tunc temporis vigeat perlata 1.499
Lex Decemuiralis in fiscibitoribus 1.497
Locus ex octauo libro epist. Ciceronis ad Atticũ à Bembo restitutus 2.610
Locus Ciceronis ad Trebatium explicatus 2.627
Locus ex Culice Maronis restitutus 3.80
Locus alius ex Culice Virgilij explicatus 3.88
Ludouici Gallorũ regis studiũ in Iulianũ Medicẽ 2.20

I N D E X.

- Ludouicus Gallorum Rex
Leoni X. Pont. max. gratu-
latur 2.20
- Ludouicus Mediolanensium
dux Pisas tueri conatur va-
rijs adornatis insidijs 1.118
- Ludouic. bona dittonis suæ
Medolunensium parte à
Triultio spoliatus, saluti fu-
ga consulere parat 1.168
- Ludouicus Mediolanensium
dux, homo turbulentissi-
mus 1.144
- Ludouicus Sfortia ciectis
Gallis à Mediolanensibus
recipitur 1.187
- Ludouicus Sfortia capitur,
in Galliamq; transmitti-
tur 1.188
- Ludouici Areosti Ferrarien-
sis libri vernaculo sermo-
ne & carmine scripti de ge-
stis errantiū equitū 2.246
- Lucas Pisanus virtute et con-
silio præstans 1.10. & 11
- Lustianorum virtus 2.727
- Lucretia Saluiate sororis
Leonis filia, Sigismundo
Ioannis Lunæ Siculi prin-
cipis filio nubit 2.182
- Lysippus sculptor egregius
3.19

M

- M. Bolani oratio ad Florē
tinū Senatū, de nō recipiē-
dis in fidem Pisani 1.93
- Marcelli cōcio de obsidendo
Tridento 1.11
- Marci Antonij Columnæ vir-
tus 2.17
- Magistratus nouus ad naua-
lia procuranda legitur
1.503
- Mascula proles nascitur
Francisco Galliarum Re-
gi 2.408
- Mantuana clades 2.309
- Mariani Theutonici non læ-
dendi à rege Poloniæ 2.29
- Matthæus Cardinalis Sedu-
nus disfidiorum & bello-
rum fautor 2.279
- Matthæus Heluctius Sedu-
nensis episcopus, Gallis in-
sensissimus 2.480
- Matthæi Prioli luculēta sen-
tentia 1.338
- Maximilianus Imper. Bono-
nienses contra Venetos de-
fendit 2.65

Maxi-

I N D E X.

- Maximilianus Imp. à Sena-
tu Veneto, Ludouico, &
Alexandro, in Italiam ac-
cessit 1.119
- Maximilianus Imp. relic'is
infesto negotio Pisas, sub-
irator domū repetit 1.122
- Maximilianus Imperat. Pa-
tauiū obsidet 1.380. Idem
litteras hortatorias sagit-
tis alligatas ad Patavinos
transmittit 1.381
- Maximiliani milites Hispani
ad Patavinos deficiunt 1.
380
- Medicæ familiæ obseruan-
tia in Gallorū reges 2.21
- Methonē capiunt Turcæ 1.
196
- Medacia diu durare nō pos-
sunt 1.15
- Molini ad Senatum oratio.
1.353
- Monachi Neapolitani cada-
uer Gasparis Hispani trās-
ferre volunt 2.46
- Monachi Cistercienses mo-
nasterij Ambrosiani por-
tas vi frugerunt 2.145
- Mores & cōsuetudines Ludi
Bononiensis neglecti 2.126
- Mono: oli ano um oppidū
ab Antonio clavis Venetæ
præfecto oppugnatur 1.90
- Municipia in Illyrico &
Croacia sita, hominū opi-
bus & præsidijs muniri-
tur Leonis diligentia & li-
beralitate 2.236
- Moscouitanum bellum 2.
191

N

- Nauticus mos 1.134
- Nicolaus Capellus piratas
insequitur 1.48
- Nic. Leoniceui laus 2.239
- Nicolao Vrsino omnium rei
pub. copiarum præfectu-
ra decernitur 1.126.
- Nonæ Caprotinæ cur sic di-
ctæ 3.79
- Notarij vnde originem tra-
xere 2.570
- Nocturns Athenas mittere
2.615
- Novaria à Venetis obside-
tur 1.80. & 81
- Nouus orbis auspicijs Ema-
nuelis Lusitanie regis in-
uentus 1.216

I N D E X.

- Novitas plerisque allicitur et oblectat 2.25
 Nubilaria castellum donatur Baldeffari Castilionio Matuano, eiusque posteris maribus legitime procreandis 2.163
 Numi quasi bellorum nerui 2.350
- O
- Ratio Antonij Minij ad plebem Venetam 1.231
 Obsides à Gallis et Venetis redduntur vtrinq; 1.406
 Odaxij funebris oratio 1.578
 Oratio dicta canescere à Cicerone. ex præfat. Pici de Imitatione.
- P
- Acis conditiones inter Carolum octavum et Ludovicum Mediolanensem ducem 1.82
 Pax à Batazete cum Venetis et Vladislao Pannoniæ rege sancitur 1.249
 Pales eadem est Dea, quæ et Vesta 3.90
 Pan arundinator 3.129
 Palitiæ Galli in Monsilicibus expugnatione egregia opera 1.434
 Parentare manibus 3.77
 Pannoniæ, Sarmatiæ et Italiæ regna Turcicis armis debilitata. 2.112
 Palauicimorum merita erga Rom. Pont. 2.16
 Palauicina familia Leonis charissima 2.32
 Pamphilus Apellis præceptor 3.35
 Patauinum bellum 1.376
 Patauina obsidio soluitur 1.381
 Parmenses paterno amore recepti à Pont. 2.51
 Paulus Licestenus Maximilianum Venetis conciliat 1.397
 Paulus Victorius classis Venetæ præfectus, à Poenis perit capitur 2.409
 Paula Gonzaga vitam cœlestem ducit 2.145
 Parmæ atque Placentiæ præstidarij milites ad ferendas municipijs supplicias euocantur 2.56
 Petrus Soderinus Medicibus

I N D E X.

- bus insensus, à reip. administratione ipsis receptis in urbem amouetur 1.532
 Petrus Medicus Florentinus exulat, eiusque domus diripitur 1.53
 Petri Bembi gratulatio de Pauli tertij Pont. max. inauguratione 2.661
 Petri Mariæ Scotti Placentini flagitiosa temeritas 2.194
 Petri Bibienæ Legatio ad Venetos 2.11.30
 Petrus Nauarrus Cantaber rebus bellicis præstans in vinculis detinetur à Ludouico duodecimo Gallorum rege 2.207
 Petri Ioannis Gallicæ classis præfecti in classem Puniceam impressio 2.315
 Petrus Balbus legatus Alexandrinus creatur 1.506
 Petra castellum loco alto atque edito situm multum negotij Venetis facessit 1.14
 Perusia frustra à Francisci Mariæ ducis militibus oppugnatur 2.269
 Philiberta Caroli Allobrogum ducis soror, Iuliano Medici nuptui traditur 2.182
 Phædrus Volaterranus 2.76
 Philippus Argentonius ad Senatum Venetum à Carolo mittitur 1.100
 Pisanum bellum vario Martegestum 1.114
 Pisanum concilium à quibus conflatum 2.73
 Pisani sese Florentinis à quibus defecerant, dedere gestunt 1.93
 Pindarus Santesius vir strenuus ad sedandos exulum Senesum tumultus à Leone destinatur 2.186
 Platonis copia. ex præf. Pici de Imitatione.
 Plinij maioris mors qualis 3.56
 Poetæ vni viuunt longæuique ac diurni sunt 2.691
 Poetæ insigniores mendis peruersionibusque scitent 3.75
 Præstantium rerum paucitas 3.23
 Pont. Rom. schismaticos di-

I N D E X.

- ris deuouere soliti 2.22
 Pont. summi munus, è Domi
 ni agro controuersiarũ &
 bellorum stirpes succidere
 2.177
 Pont. Max. in regnũ Neapo
 litanum ius habent 1.99
 Pont. vicarium Dei in terris
 se gerere, iactat 2.98
 Propinquitatis nomen iusti
 tiæ atque æquitati cedere
 debet 2.164
 Prosperi Colinae virtus. 2.13
 Prosper Columna stipendiũ
 luculentũ à senatu Veneto
 oblatũ recusat 1.365
 Ptolemæus Philadelphus
 2.572
 Pugna naualis 1.135
 Punicorũ piratarum classis
 Viterbiensib. infesta 2.295
 Puer biceps quatuor hume
 ris et manibus Venetijs na
 scitur 1.461
 Pylon iterũ expugnat Tur
 ca 1.212
 Pylon astu Pisaurus ingredi
 tur 1.202
 Pythagoræ opinio de Aet
 ne incendijs 3.62
- Q**
- Quadragesimaurale iudi
 cium duplex 1.33. Po
 testas utriusque quousq; se
 extendat. Ibid.
- R**
- Raphael Urbinas pictor
 insignis 2.196
 Raucennense prælium 2.178
 Raucennensis clades 1.523
 Rex Daniæ monetur ne Re
 gem Britannia perturbet
 2.39
 Regis Roxolanorum lega
 tio ad Senatum Venetum
 1.26
 Regina Daciae Roma domũ
 rediens Venetias et ipsa se
 confert 1.19
 Regiũ Lepidi emunctum pe
 cunijs 2.18.19
 Regienses fideles Rom. Pon
 tifici 2.18
 Rei damnati Antonio Car
 d. nali Bononiensi donati
 2.154.155
 Reginaldus Polus Britan
 nus Cardinalis 2.602
 Res gestæ apud Taurinũ op
 pidum 2.98
 Resendius

I N D E X.

- Resendius poeta illustris
 2.741
 Rhetici belli finis 1.18
- S**
- SAdoleti carmina 2.530
 Sanctæ Agathæ oppidi O
 ctauiano Fregosio Genuen
 sium duci datum 2.106
 Sarmadas Græcus insigni me
 moria præditus fuit 1.18
 Saxolum in Mutinensi agro
 sitũ, à reip. & Iulij copijs
 expugnatur 1.459
 Schismatis atrox nebula à
 Cardinalib. excitata 2.73
 Sebastianus Memmus trire
 mis Venetæ ductor, prædo
 insignis 2.179
 Seditioes in Pannonia per
 fectiosos & seditiosos ho
 mines excitatur 2.190
 Seduni Cardinalis mala mæs
 malus in remp. animus 1.
 528
 Selymus Ismalem Sophum
 Persiæ regem profligat 2.
 19
 Selymi Turcarum Impera
 toris apparatus ad expu
 gnandam Rhodũ insulam
- T**
- Turcarũ Regis mors
 2.414
 Senensium sericæ merces ca
 ptæ 2.63
 Senensium exulum tumultus
 2.185
 Siculi cur trilingues vocati
 3.67
 Siffæ præfecti Gallorum mi
 litum in reprimendis reip.
 hostibus strenuitas 2.375
 Sigismundi Poloniae regis et
 Alberti Brandeburg. Pruf
 siæ magistri dissensio 2.19
 Similitudo luculenta ab ar
 borum seminibus ducta
 2.313
 Sinus Ambracius qualis 1.
 205
 Soragna Comitæ bona sibi
 vendicat Leo 2.165
 Sorgia flumen 2.197
 Stobæi sententiarum cõmen
 datio & utilitas 2.794
 Suffragiorum ferendorũ ra
 tio 1.34
 Sumptuariæ leges à Venetis
 rescinduntur & reuocan
 tur 1.18

I N D E X.

T	gem veneno tollere suadet 1.130
Tarentini Veneto Senatui se dedere volunt 1.112	Taurisani in officio cōtinen- tur 1.339
Tarētini morbo Gallico cor- ripiuntur 1.113	Turcicus exercitus à Rho- dijs fugatur 2.98
Terræmotus magni in Cre- ta & oppido Cădia 1.291	Turcæ Pannoniam inuade- re conantur 2.146
Terræmotus ingens Vene- tius 1.467	Turcarum nimis exultās fe- rocia 2.112
Terentius antiquitatis ama- tor 3.113	Turcarū in Dalmatas diu- turna impressio 2.305
Thmarus, qui & Tomarus 3.80	V
Timor consilium plerunq; non recipit 1.16	VALEntini Polydami histo- ria 2.664
T. Liuij vbertas 3.27	Vanissa Dalmata eques stre- nuus 1.415
Tranquillo mari facile quili- bet velificationē cursumq; moderatur 2.662	Veneti Leoni summo Pont. -gratulantur 2.14
Tremezeni Regis legatio ad Senatum Venetum 1.25	Veneti struūt Germanis insti- dias 1.9
Triulcius à Mediolanensib. magna hominum gratula- tione regis nomine in oppi- dum recipitur 1.168	Venetorum fuga 1.16
Tributū per vniuersum or- bem indicitur 2.96. & 97	Veneti inducias faciunt cum Maximiliano, cumq; eius cōfoederatis, Gallie Hyspa- niæq; regibus 1.289
Triturrita arx 1.121	Venetis clades à Ferrariensib. sibus illata 1.398
Tristanus Saornianus homo vasser et impius Carolū re-	Veri ignoratio vitiorū fons atq; origo 1.606
	Verona

I N D E X.

Veronæ muri tormentis Ve- netorū quatiuntur 1.447	sunt 2.143
Vicarius ecclesiæ Salernita- næ 2.133	Vladislaus Pannoniæ rex Batiafetē bello lacepsit 1.228
Virtuti nulla vis inferri po- test 1.347	Vladislai Pannoniæ regis in- ductio, animiq; propensio ad reprimendam rabiem Turcicam 2.216
Virtus & industria viam mu- nit ad honorū & dignitatis gradus capeßendos 2.261	Vladislaus Pannoniæ rex Lu- douici Gallorum regis & Maximiliani assiduis hor- tationibus ad bellum reip. Venetorū inferendum sti- mulatur 1.436
Victoria moderatē vtendum 2.57. 59	Vladislai Pannoniæ Regis mors 2.289
Victoria à Deo pendet 2.97	Vrbimates Leonis imperium amplectuntur 2.508
Vincentius Papacoda vir strenuus 2.170	
Vidæ mulieres in regno Neapolitano lege portio- nem aliquam petere pos-	

F I N I S.

OPERVMBEMBI
chartarum series.

PRIMITOMI.

A B. a b c d e f g h i k l m
n o p q r s t v x y z.
A B C D E F G H I K L M
N O P Q R S.

SECUNDI.

aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn
oo pp qq rr ss tt vv xx yy zz.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll
Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv
Xx Yy Zz. AA.

TERTII.

Aaz Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii
Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq.